H. lit. p.
378
m

H. lit. P.
378 m

Sauber.

HISTORIA
SCHOLÆ CATHEDRALIS ARHUSIENSIS

ab

ipsis ejus incunabulis ad præsens ævum primis lineis adumbrata

ab

ERICO GIÖRUP TAUBER,

primario Religionis, nec non lingvarum vernaculæ, græcæ et latinæ in schola doctore.

Ad Pag. 26

ARHUSIÆ MDCCCXVII.

apud *A. F. Elmquist.*

BIBLIOTHECA
REGIA
MONACENSIS.

PERIODUS PRIMA SIVE BORUPIANA

obſcura ſcholæ primordia delineans ab exitu ſeculi XIII ad novam formulam ſcholaſticam ſancitam in ſynodo Ant-worſchoenſi 1546.

§ 1.

De fontium penuria, qvorum ope antiqviſſima ſcholæ hiſtoria est explicanda.

In primas ſcholæ Arhuſienſis origines inqviſituro haud exiguum objicitur impedimentum, qvod omnia fere monumenta in muſeis et bibliothecis noſtris olim latentia [1]), temporis injuria, vel po-

---

[1]) Præter Svenonem, Epiſcopum Arhuſienſem viventem anno 1183, de qvo legitur in veteri manuſcripto: "Fecit ſcribi hiſtorias diverſas, ipſe fecit parari pergamenum et conduxit ſcriptores", conſtat Petrum, Ingredi filium anno 1196 totam ſuam ſupellectilem librariam legaſſe templo Cle-

tius hominum incurioſorum oſcitantia, penitus perierint. Vix enim dubitare licet, egregios antiqvitatis theſauros olim aſſervatos fuiſſe in iſtis bibliothecis qvæ partim jam anno 1191 in monaſterio inſulæ Caræ prope Schanderburgum memorantur inſtructæ indeqve anno 1251 Arhuſiam translatæ [2]), partim in ſacello, templo Clementino contiguo, juſſu Regis Frederici ſecundi, 1561 accuratiſſime conditæ [3]).

---

mentino, ne dicam de egregiis donis Epiſcoporum ſeriorum Oveni Bilde et Laurentii Bartholomæi filii, de qvibus confer Vadskjærs Bogtrykkerkonſtens Hiſtorie pag. 16, Hilaria Aarhuſienſia p. 85.

[2]) Danſke Magazin Tom. 1, pag. 138 &c. De epiſcopo hos libros auferente qveruntur monachi his verbis: "Ille meliores ducentis marcis denariorum non ſicut Epiſcopus, ſed tanqvam ſacrilegus de clauſtro nobis abſtulit violenter". Vid ſcript. Rer. Dan. V. pag. 262.

[3]) Teſte Nanneſtadio in Hilar. Aarh. p. 87 (apud quem etiam reperitur exemplar diplomatis Regii membranacei) Ao. 1654 optimi codices perfide erant direpti, reliqvi ſqvalentes penitusqve neglecti jacebant. Qvocirca templi uſibus, pro rerum facie, conſultum ivit Fredericus tertius pauculos iſtos adhuc reſiduos bibliothecæ Arhuſienſis libros vendi curans, ne, qvod addit auctor, vel prorſus diſtraherentur inqve prædam cederent manibus perditisſime rapacibus, vel ſitu, tabe et mucore plane disperderentur. cfr. Hil. Aarh. l. c.

Verum enim vero, harum collectionum cum ne veſtigia qvidem ſuperſint, nil reſtat curioſo antiqvitatum ſcrutatori, qvam collectis et diſpoſitis, qvæ in libris hic illicve deliteſcunt, antiqvioris ævi reliqviis, qvalemcunqve ſibi de antiqvisſimo ſcholæ ſtatu informare ideam.

§ 2.

De antiqvisſimo ſcholæ ſtatu.

Qvanquam argumentis hiſtoricis probari neqvit, Arhuſiam ab eo ipſo tempore, qvo ſedes Epiſcopalis facta eſt, (teſte Hvitfeldio 1014) [4]) ludum litterarium habuiſſe; probabile tamen eſt, divites et potentes Canonicos, religionis propagationi intentos, non minus quam monachos peregrinos ſub auſpiciis Epiſcoporum nidulantes, mature cogitaſſe de inſtituendis ſcholis, qvibus homines formarentur hierarchiæ auctoritatem olim ſuffulturi. Nec parentum minus intererat, liberos ſuos familiæ ſcholaſticæ qvam primum adſcribi, per qvam ſolum aditus patebat ad munera Eccleſiæ ampla et qvæſtuoſa [5]), qvibus allecti ne Nobilium qvidem filii pulverem ſcholaſticum detrectarunt.

4) Bispekröniken et Wormii monumenta Dan. Tom. 2. pag. 277.

5) Aula epiſcopalis ante Reformationem adeo ſplendida fuit, ut nonnemo principum

Duplex igitur ſcholarum genus reperimus, alterum Monachorum alterum Canonico-

---

minorum hujus Viri ſortem haud facile dedignaretur. Domi dynaſtes eccleſiaſticus Arhuſienſis palatium inhabitavit fere regium, cui binæ accedebant domus amplisſimæ, ſcribis et famulitio deſtinatæ, et qvando foras progrediebatur, haud raro apparebat eqvitum concomitantium caterva ſtipatus. Eiqve reditus non minores fuisſe, qvam qvi ſuffice-rent huic apparatui ſuſtentando, judicabit is qvi perpenderit, qvid ſit decimas exigere (regias poſtea dictas) ex tota dioeceſi Arhuſienſi, et posſidere arces, qvales ſunt, qvas vocamus: Silkeborg, Roſenholm, Aakier, Iisgaard, Clausholm, Holbekgaard, Overgaard, Öſtergaard et Calöe cum terris adjacentibus ab omni vectigali ſolutis. Qvod ad Canonicos attinet, eos non curtæ, qvin potius lautisſimæ fuisſe rei, conſtat cum ex vico civitatis noſtræ, qvi nomen ab iis ſortitus eſt, tum inde etiam, qvod Canonici ditiores, cum cura juventutem ſcholaſticam inſtituendi primitus iis omnibus demandata esſet, eam mature ſatis, præ mollitie et deſidia, partim ad inſimos et novitios Canonicos devolverint, partim ſe ab illa plane ſubtraxerint, ut ſeculo Reformationem antecedente provincia in ſchola Cathedrali docendi ad ſingulares doctores ſcholaſticos delata esſe videatur, ipſis tantum Canonicis in juventutis profectum ſubinde inqvirentibus. Cfr. Münteri hist. Reform. Tom. 1 pag. 41. Hertelii Deſcriptionem ædis cath. Arh. Tom. 1 cap. 52. Langebechii ſcript. rer. Dan. Tom. VI. pag. 408.

rum [6]), qvarum hæ cathedrales vocatæ ſunt [7]), et utrumqve genus ſuo tempore Arhuſiæ floruiſſe

---

[6]) Cfr. Wormii hiſtoriam ſcholaſticam inſertam actis Regiæ ſocietatis litterarum Tom. XI. pag. 346 ff.

[7]) Vocabuli igitur origine conſultâ, cathedralis ſolum vocanda eſt ſchola, qvæ ab initio habebatur a Canonicis, in urbe, ubi ſedes erat epiſcopalis conſeſſusqve Canonicorum, Capitulum vocatus. Qvocirca eſt qvod dubites, num ſcholæ, ceteroqvin celeberrimæ, Hafnienſis, Neocopienſis Falſtrorum pluresqve merito inter cathedrales ſint referendæ. Saltem huic opinioni non adſtipulantur verba Epiſcopi Ripenſis Laurentii Thuræ, qvæ ex ejusdem epiſtola ad Falſterum affert Nyerupius (hiſt. ſcholarum pag. 175) inter alia ſic ſe habentia: "I Roeskilde haver ſedes Archiepiſcopalis været, dens Skole er cathedralis, da Kjöbenhavns hverken er eller nogenſinde haver været uden Trivialis. Qvod reliqvum est, de ſcholarum cathedralium dignitate et prærogativis plura reperies in Rivii Puritani hiſtoria monaſtica Occidentis ſcabra et ſalebroſa pag. 331 § 12, 86 § 4 et 333 § 17; in promtuario Danico (Danſke Magazin 1. Bind pag. 322) ubi hæc de antiqviſſimo ſtatu eccleſiaſtico Norvegiæ occurrunt: "Eccleſia cathedralis var den Domkirke, hvörtil Cathedra eller Biſkopſtolen i Stifternes Hovedſtæder var föiet, da derimod Eccleſia Collegiata var ſaadan Domkirke, hvortil alene var lagt et Collegium af Caniker, ſom ellers kaldes Domherrer, Chorsbrödre, regelbundne Præſter". et in edicto Chriſtiani

nulli dubitamus, qvanqvam Reformationis tempore de cathedrali tantum ſchola hic mentio injicitur.

De hujus autem — circa qvam disqviſitio noſtra ſolum versatur — ætate et conditore, licet certum qvid aſſeri neqvit, facile tamen adducor ut accedam clariſſimo Müntero[8]) qvi putat jam ante annum 1287 exſtitiſſe ſcholam Arhuſienſem, hocqve eo libentius, qvod huic opinioni ſuffragatur teſtimonium non ſpernendum a Langebechio ex libro Arhuſienſi petitum, in qvo commemoratur donatio Epiſcopi Arhuſienſis Tychonis

---

qvarti, (Chr. IV. Receſs 1643, 1 Bog, 1 Cap. 21 Art.) ubi, de dignitate ſcholarum agens ſeptem commemorat ſcholas primi ordinis, binas vero ſecundi et reliqvas minores appellat, Verba ſunt: "Sammeledis ſkulle de ſom udi de ſiuff ſtore Capittels Skoler, ſaavelſom ogſaa udi Kiöbenhaffn oc Malmöe, for Rectores ſkulle tiene enten være Magiſtri eller Philoſophiæ Candidati, oc udi de andre ſmaa Skoler, ſkulle ingen til Skolemeſtere forordnes, eller udi de ſtore til Hörere, ſom jo ere promoti Baccalaurei". Qvas ſeptem ſcholas fuiſſe ſuſpicor: Roeskildenſis, Lundenſis, Othinienſis, Ripenſis, Arhuſienſis, Viburgenſis et Alburgenſis.

[8]) Hiſtoria Reformationis eccleſiæ Danicæ Tom. 1 pag. 146.

ſecundi [9]) (1280) "dimidiæ marchæ avenæ" ad potum pauperum ſcholarium concéſſæ [10]). Illam autem floruiſſe ante exitum XIV ſeculi apparet partim ex teſtimonio qvod tribuitur Cantori Arhuſienſi Magistro Johanni, hocce tempore viventi, eum diligenter viſitaſſe ſcholam et tentamina puerorum inſtituiſſe [11]) partim ex vita Martini Borupii, qvi auctore Wormio [12]) anno 1470 ſcholæ nomen dedit.

---

[9]) De ejus vita confer Poulſonii biographias Epiſcoporum Arhuſienſium pag. 23.

[10]) Verba ſunt in ſcriptorum rerum Danicarum Tom. VI pag. 441 hujusmodi: "Deputavimus inſuper ex conſenſu capituli nostri præter has duas et dimidiam marcham avene, dimidiam marcham avene ad potum pauperum ſcolarium, qvi vocati ſunt, vel in poſterum fuerint, ad portam dictorum dominorum canonicorum pro eleemoſynis ibidem exſpectandis, percipiendam in Haslugherrit ſupradicto.

[11]) In oratione Grammii de origine et ſtatu rei litterariæ in Dania, inſerta Tom. VII. däniſche Bibliothek pag. 500, qvibus adde qvæ ex ſtatutis eccleſiæ Arhuſienſis anni 1388 a Langebechio afferuntur (rer. Dan. Tom. VI p. 441).

[12]) Videnſk. Selſk. Skrift. Tom. XI. p. 357.

§ 3.

De ædificiis ſcholaſticis.

De antiqisſimo Muſarum Arhuſienſium domicilio, vel loco, ubi prima litterarum rudimenta, ſcholam cathedralem obeuntibus tradita fuerint, qværi poteſt. Teſtimonia enim exſtant auctorum, fidei minime ſpernendæ Pontoppidani [13]) et Jongii [14]) antiqvisſimam ſcholæ ſedem ad monasterium ſancto Nicolao dicatum referentium, et fratribus Nicolaiticis (familiæ ut videtur S. Franciſci addictis) munus ſcholaſticum ab ipſo patrono Arhuſienſi ſancto Nicolao, [15]) filio Regis Canuti qvinti, injunctum eſſe putantium.

Cui opinioni nullis antiqvioris memoriæ auctorum teſtimonio ſtabilitæ repugnare videtur non minus traditio hominum per plurium ſeculorum decurſum conſervata, et conditio loci, ubi claustrum Nicolaiticum ſitum fuiſſe conjicitur, [16]) qvam auctoritas Nanneſtadii Arhuſienſis, minime teſtimonio reliqvorum poſtponenda [17]).

---

[13]) Theatrum Daniæ pag. 370.
[14]) Danmarks chorographiſke Beſkrivelſe p. 665.
[15]) De hoc principe confer Hertelium Vol. 2, faſc. 2. pag. 1.
[16]) Cfr. Hertelium Vol. 2, faſc. 1. pag. IX.
[17]) De hocce viro in hiſtoriâ litterariâ ſui temporis minime hospite beneficiisqve in eccle-

Qvæ ultima, primordia ſcholæ apud Monachos Chartuſianos, Sancti Brunonis aſſeclas et diſcipulos. petenda eſſe ſvadent [18]).

Sit vero qvod velis, monaſterium (ſive Franciſcanum ſive Chartuſianum) qvo ſchola habebatur, ſitum erat in plateâ ſcholaſticâ [19]) et complectebatur totum tractum, qvi nunc continet ædes ſcholaſticas et domicilium Rectoris cum aréis hortisqve utriqve adjacentibus [20]).

Ipſæ vero lectiones habebantur tantum in monaſterii membro auſtrali, ex plateâ ſcholaſticâ ad clivum ejusdem nominis procurrenti [21]).

ſiam Arhuſinam et Univerſitatem Hafnienſem bene merito cfr. Wormii lexicon Tom. 2 pag. 107, Hertel. Tom. 2, faſc. 3 pag. 415.

18) Qvanqvam in vita Martini Borupii nullibi diſſerte commemoratur, cui familiæ monaſticæ nomen olim dederit, facile tamen adducor, ut credam, eum ad familiam Chartuſianam ſe appplicuiſſe, inprimis qvia Coloniæ, primariâ hujus ordinis ſede, ſummos in Theologiâ honores adeptus est. In posterum vero, cum profugi Chartuſiani Arhuſienſes etiam Coloniam potiiſſe dicantur; haud improbabile est, hisce, præ cæteris, fratribus delatam fuiſſe provinciam ſcholam cathedralem regendi.

19) Hertel Tom. 2. faſc. 1, pag. XIV.

20) Hilaria Arhuſienſia pag. 39.

21) Hertel l. c.

Monachorum autem Arhuſienſium examina reliqva, lumine repurgatæ Religionis lætius lætiusqve fulgente perterrita cum veterem, unde emigraverant, cænobiorum umbram repetere conſultius haberent fratres qvoqve Chartuſiani anno 1528 ædes ſuas Arhuſinas reliqverunt [22]). Monaſterium autem incolis ſuis deſolatum ſeqventi anno (1529) munificentia Regis auguſtisſimi Frederici 1mi ceſſit in poſſeſſionem Epiſcopi Oveni Bilde [23]), a qvo viro, patriæ et rei litterariæ rationibus nunqvam non ſtrenuisſime invigilante, ultimo, nec tamen infimo Epiſcoporum ArhuſienſiumPontificiæ Religioni addictorum [24]), non ſolum illa ædificii pars, in qvâ hucusqve publicæ lectiones fuerant habitæ, ſed totum qvidem domicilium docentium æqve ac diſcentium uſui benegnisſime est conceſſum [25]). Inſtitutioni autem ſcholaſticæ inſervire perrexit membrum auſtrale (reliqvis ædificiis jam dudum dirutis) per duo fere ſecula cum dimidio, per illud omne

---

[22]) Pontoppidani theatrum Daniæ pag. 370.

[23]) Hilar. Arh. l. c.

[24]) De ejus vita confer Paulſonii biblioth. Arh. pag. 41.

[25]) Hilar. Arh. pag. 39.

tempus (qvod fide Alberti Thuræ[26]) pluriumqve teſtium ocularium conſtat) conſpicuum portulis qvibusdam ad feneſtras utrinqve occluſis, jamnuas cellularum fratrum Chartuſianorum haud obſcure indicantibus, usqve dum, muris jam præ vetuſtate labantibus rimisqve fatiſcentibus, demolitum est hocce ædificium anno 1762 et locum cedere cæpit novo et ampliori domicilio noſtris uſibus adhuc dum inſervienti.

§ 4.

De antiqvioribus ſcholæ magistris.

Inter doctores antiqvisſimos, postqvam formæ monasticæ valedixerat ſchola, memorantur

---

[26]) Idea hiſtoriæ litterariæ pag. 71. Præter hocce opuſculum, ſatis notum reliqvit idem auctor de hiſtoriâ litterariâ præclare meritus, librum manuſcriptum de re ſcholaſtica prolixioris argumenti, qvem in bibliothecâ Univerſitatis Hafnienſis aſſervatum ſuperiori anno mihi Hafniæ aliqvamdiu commoranti benignitate Clariſſimi Nyerupii conſulere contigit. Hoc MStum. inſcribitur: "Valvæ ſcholarum Danici Regni apertæ, ſeu introitus in ſcholas Daniæ, Norvegiæ, Islandiæ, Feroæ latinas, cathedrales et triviales Regias ac nobiles, maximas et minimas in utroqve Regno omnes, qvô qvantum fieri potuit, ſcholarum hiſtoria ab ipſâ Reformatione ad hæc usqve tempora enarratur, doctorum ſeries traditur, eorumqve vitæ, ſcripta, epitaphia et alia memorabilia ut plurium exhibentur. Adjectis ad calcem qvatuor indicibus neceſſariis. Anno 1728.

Magister [27]) et Locati [28]), qvos inter opus ſcholaſticum ita partitum fuit, ut ille toti operi præeſſet et inſtitueret provectiores diſcipulos academicis honoribus jamjam inhiantes, hi in ipſis tironibus, per certos claſſium gradus, vel litterarum fundamentis imbuendis vel ulterius profligandis verſarentur.

---

[27]) Hoc antiqviſſimum nomen fuit ſcholæ moderatori tributum, qvod in poſterum ceſſit appellationibus: Rector, Ludimagister et Ludirector. Danice κατ' ἐξοχὴν Skolemeſter. Num nomen Scholiaſtri, qvod Rectori Othinienſi a 1349 teſte Pontoppidano (Ann. Vol. 2 pag. 175) ab Epiſcopo Nicolao tributum est, Arhuſiæ qvoqve in uſu fuerit, non compertum habeo.

[28]) Chronologia nominum inferioribus ſcholæ doctoribus tributorum fere hæc est: Circa Reformationis tempora vocabantur: Scholaſtici et Locati, qvia operam locarunt ſcholæ Magistro, hiqve doctores interdum ſumebantur ex ipſis diſcipulis ſupremæ claſſis (confer elegantiſſimam diſſertationem C. L. Badenii inſertam Ephemeridi Minerva dictæ, October 1802 pag. 42). Ineunte ſeculo XVII invaluit uſus Hypodidaſcali, qvod nomen cum plebejis pronuntiatu eſſet difficile, ſubſtituerunt danicum: Hörer, qvod etiam freqventer uſurpatum est pro nemine ſeculi XVIII Collegæ usqve dum ſec. XIXno appellatione Adjuncti utrorumqve commoditatibus conſultum est.

His accedebant Theologiæ lectores, qvi primum qvodammodo locum, per integrum miliarii dimidium, inter juventutis doctores occuparunt, partim qvia disciplinam docebant, cui reliqvæ famulari jubebantur, partim etiam qvia provinciâ adeo opimâ et qvæstuosâ gaudebant, ut Rectorum non pauci in senii levamentum hanc sibi expetierint. Cum vero docerent Theologiæ lectores non in scholâ sed in templo et ex præscripto Ordinationis Ecclesiasticiæ (fol. 77) explicarent sacram scripturam "tum coram Canonicis scholasticis (discipulis) et prudentibus civibus tum aliis, qvi eo se conferre audiendi cupidi avebant", patet, hancce Theologiæ institutionem ad historiam scholasticam haud proprie pertinere. Duravit hoc munûs Arhusiæ usqve ad annum 1743 et recensentur viri, qvi Lectoratu functi sunt in Alberti Thuræ ideâ hist. litterariæ pag. 73 et 74 et in Hertelii descriptione ædis cathedralis Arhusiensis Tom. 2, fasc. 3 pag. 458.

§ 5.

De Rectoribus scholæ circa Reformationis tempora.

Doctorum scholæ Arhusiensis nemo in libris memoriæ traditis, sive typis impressis, sive membranis intus positis, nominatur ante MARTINUM BORUPIUM. [29]) Qvi vir, cum ingenii vi et do-

cendi dexteritate, qvâ polluit, eximiâ, non ſolum illud decus attuliſſe ſcholæ Arhuſinæ, ut ejus ſub auſpiciis omnium florentiſſima haberetur, ſed inſigni ſuâ induſtriâ, ab omni oſtentatione remotiſſimâ, ſemina ſparſiſſe putandus ſit in lætiſſimam patriæ meſſem et eccleſiæ florem propediem ſucereturā, dignus ſane est, cui honorificus in annalibus ſcholæ noſtræ relinqvatur locus.

Natus est Martinus Borupius ex ruſticis pauperrimæ ſortis parentibus Borupiæ, vico prope Schanderburgum ſito, anno 1446 [30]), et cum juvenis adhuc regiam Schanderburgicam — qvæ acerbior erat agricolarum tunc temporis conditio — operam ſervilem præſtitum, eſſet attractus, ibiqve ſæpius, ut videtur, durius tractatus; accidit aliqvando, cum in graminibus ſiciliendis eſſet occupatus, ut præfectus operarum, qvod noſter

---

[29]) De vita Borupii confer Pontoppidani marmora danica Tom. 2 pag. 118 et Annales Eccl. Tom. 2, pag. 294, 297 et 728. Däniſche Bibl. Tom. 1 pag. 42, Tom. 7 pag. 512, Vindingii acad. Havn. pag. 445, Alb. Thuræ hiſtoria rei litt. pag. 71. Videnſkabernes Selſkabs Skrifter Tom. XI, pag. 391 et Münteri hiſt. Reform. Dan. Tom. 1 pag. 311.

[30]) Computandi rationem a Jano Wormio reſtitutam in vita Borupii ubivis ſeqvutus ſum cfr. Videnſkab. Selſkabs Skrifter Tom. XI pag. 357.

properando paullo tardior videretur, illum framea percuteret, additis minis, graviori deinceps se illum pænâ, ni maturaret, castigaturum esse. His injuriis — qvod erectioris ingenii hominibus haud raro evenit — non est depressus qvin potius erectus. Ad majora sese natum factumqve sentiebat, qvam ex plagosi exactoris lubitu operam servilem exercere. Falce igitur in pratum abjecta, Arhusiam festinavit, et, qvod in votis diutius habuisse videtur, emto libello elementari scholaqve precibus obtenta, homo viginti qvatuor annorum barba prominente spectabilis, pone januam inter infimæ classis pueros consedit. Vitæ necessitatibus pro more temporum [31]) consulens stipem ostiatim corrogando, ingenio et docilitate favorem docentium mature est consecutus. Ut igitur rem sibi succedere animadvertit, auctore Lyshandro, templum ingressus est, qvod ex veteri majorum devotione Clementi est sacrum, votumqve Deo vovit: Si coeptis adspiraret, perpe-

---

[31]) Usu introductum fuerat, inqvit Meursius in historia Christiani 2. pag. 68, inde a Religionis Christianæ apud Danos inchoatæ primo tempore ut tenuiorum filii, qvi in ludum litterarium, ad doctrinam liberalem capiendam, dati essent; ad inopiam sublevandam cibum sibi resqve alias necessarias ostiatim corrogarent.

ruam se juventuti instituendæ operam esse daturum. His sensibus animatus præsentiqve numine veluti inflatus, nec in limine scholæ diutius hæsit, sed æqvales, qvos nactus est, mox vicit, imo dejecit, et pro temporum illorum ratione gradum corripiens [32]) ad claustra academica impigre cucurrit. Cujus voti etiam compos factus est, cum, decennio in schola transacto, ad academiam Hafnienſem recens fundatam anno 1480 mitteretur. Ibi animum primum ad juris civilis mox ad theologiæ studium appellens, paucis interjectis annis: gradu honoreqve Magisterii est ornatus.

Receptus erat ævi mos, ut cuivis litterarum studioso ad altiora nitenti aliqvamdiu degendum esset in Universitate qvadam extranea [33]), nec in

---

[32]) Nil usitatius fuit illis temporibus qvam 16 vel 20 annos insumere rebus in schola discendis, cujus rei de caussis subtiliter et accurate ut solet, disputat Gustavus Badenius in dissertatione inserta ephemeridi Minerva Octob. 1792 pag. 43 his verbis: "At Disciplene ofteſt maatte henbringe 16 eller flere Aar i Skolen, var intet Under, naar betænkes, at de begyndte i Skolen med ABC, maatte saa hendrive deres Tid med ikke blot Korsang i Kjöbstædernes Kirker, men endog maatte her være Klokkeringere, besörge Degneforretningerne i omkringliggende Landsbyer, ja stundom og her være Skoleholdere.

[33]) Cfr. luculentissimam Engelstoftii dissertationem de peregrinationibus eruditorum

hac re ſibi defuit noster, ſed anno 1486 profectus est Coloniam Agrippinam [34]), ubi ſtudiis academicis finitis, Doctor Theologiæ publico academiæ testimonio est declaratus.

In patriam redux memorqve Voti, qvod juvenis ſuſceperat, provinciam Rectoris ſcholæ Arhuſinæ ſibi expetiit, votiqve compos conſenſu Capituli Arhuſienſis a. 1491 ſcholæ iſtius gubernationem amplexus est, in qva ipſe prima litterarum fundamenta jecerat.

In docendi provincia, ſi Borupium ſpectemus, cæteris hujus ætatis ſcholarum moderatoribus facile palmam præripuit. Conjunxit enim doctoris ſeveritatem gravitatemqve cum amici humanitate comitateqve, animi indole eâ tempestate ſane rariſſimâ. Supra ætatis ſuæ disputandi futilitatem evectus in Ariſtotelicæ philo-

---

inprimis Lutetiam Pariſiorum in ſcriptis ſocietatis litteraturæ Schandinavicæ 1802.

34) Cur hanc Univerſitatem prætulerit Borupius, reliqvis ea tempertate florentibus inprimis Pariſienſi, forſitan cauſa qværenda est in nuperrima Regis Chr. 1. Coloniæ Agrippinæ commoratione (de qva vide Pontoppidani gesta et veſtigia Danorum extra Daniam Tom. 3, pag. 197-204) vel etiam in adhortationibus Capituli Arhuſienſis, cujus ſub ductu Arhuſiæ tirocinia poſuerat Borupius.

ſophiæ tricis enodandis explicandisqve unice verſantis, elegantiæ potius et doctrinæ Græcorum Romanorumqve, qvi fuit æstimator [35]), tenellos ſuorum animos ſano lætoqve antiqvitatis pabulo innutritos, mature ad eum veri rectiqve ſenſum efformasſe videtur, qvi postmodum diſcipulos Borupianos primos et ſtrenuisſimos ſanioris Religionis vindices fecerit, laudemqve egregio ſeni paraverit, eum tacite, velut aliud agendo, arma ſubministrasſe [36]), qvibus tenebræ pontificiæ mox esſent depellendæ [37]).

His ſtudiis intentus, qvemadmodum in ſchola ab illius temporis crudelitate, qva præceptores rigidi et biloſi qvævis menda, vel leviora, verberibus et plagis punienda esſe cenſerent, prorſus fuit alienus, ita domi intra privatos parietes benignisſimam, qvin vere paternam, diſcipulorum gesſit curam. Ea enim liberalitale fuit, ut cuivis

---

35) Martinus Borupius war ein treflicher Humanist ſeiner Zeit. Pontoppidanus Ann. Eccl. Tom. 2, pag. 728.

36) Rönnius in theſ. IV. biographiæ Tauſani præmisſis dicit: Exinde concludere licet, e qvo fonte viri docti tempore Reformationis ſuam hauſerint eruditionem.

37) Celebrem illum vocat Vindingius (Ac. Havn. p. 445) per univerſum regnum juventutis formandæ magiſtrum.

diſcipulo indigenti' — nec exiguus erat horum numerus — [38]) aditum ad ſuam menſam, veluti ad commune panarium, aperiret: "qvin ipſam ſcholam (verbis Lyschandri utor) [39]) ita ſubſidiorum cura partitus ſit, ut ſingulis ad meridiem qvidem, mediæ vero ad horas veſpertinas, de potu et cibo, Eleomoſynâ certe non tenui et cumprimis mundâ, omnino provideret".

Qvi ſumtus licet omnino reditus ejus excederent, diſcipulis ſuis tamen deeſſe noluit, ſed ad pietatem ſeculi confugiens, qvâ ipſe olim altus ſuſtentatusqve fuit, pueris oſtiatim cantantibus novos liberalitatis fontes aperuit.

Nec, pro tetrico horridoqve ævi ſui more, abſtinuit ſe a ludis puerorum, ſed inter pueros ſe puerum geſſit, lætus ipſe puerilis lætitiæ ſpectator, imitatusqve Socratem, qvi ludere non erubuit, [40]) qvin teſte Diogene Laertio, [41]) cum iis etiam ſaltavit. Hoc ad conſilium compoſuiſſe videtur choream ſic dictam ſtultorum, in qvâ

---

[38]) Cfr. § 6 not. 3.

[39]) Pag. 393.

[40]) Æliani hiſt. var. lib. 12, cap. 15.

[41]) De vitis philoſophorum lib. 2, cap. 15.

vel finiſtre interpretandâ, [42]) vel putide defendendâ [43]) adeo ſolliciti fuerunt recentiorum non-

---

[42]) "Dignum ſcilicet Theologiæ Doctore inventum!" exclamat Pontoppidanus hanc rem narrans Marmor. Danic. Tom. 2 pag. 119 et Wadſkiærius in theatro poetico pag. 142 neſcio utrum jejune magis an facete in Borupium ita jocatur:

Scilicet! ingeniis papiſtica Dania Summis
Inventisqve novis ſuſpicienda venit.
Doctor en! et Paſtor, Rector, Saltator in uno,
Qvam disjuncta licet, juncta fuere viro.
Hic Rhodus, hic ſalto! dixit Borupius olim
Sive Chorus poſcat ſive Chorea Ducem,
Ludimagiſter erat duplex, ad utrumqve paratus,
Seu Ludi Doctor Sceptra tremenda vibret,
Seu Ludi Ductor ſaltandi traderet artem
Ejusdemqve novum fingeret ipſe genus.
In qvacunqve etiam Muſæ vel Muſica vellent
Borupius noſter Roſcius arte fuit.

[43]) Lyschander hæcce habet pag. 397: Etiam hanc, qvam a ſtultis habere nomen dixi, choream excogitavit, lepidâ me hercule ac ridendâ artuum membrorumqve flexurâ ac varietate, qvam præfecti, ludis jam exhibitis, huic de Goliatho hiſtoriæ certisſimâ ſalutariqve admonitione ita ſubjunctam eſſe voluerunt, ut lubrica exempli hujus forma, profana hominum colluvies, totusqve impietatis cætus ſciret perſpiceretqve, omne qvod adverſus Chriſti Eccleſiam ab improbis ſuſcipitur ſtudium, fervorem et contemptum, vincente triumphanteqve ad extremum filio Dei, in ſtultitiam deſinere: Iſtumqve hisce tandem eſſe exprobrationis ſceleratæ ac violentæ finem, ut cum magna interim mundi ac præſumptionis humanæ ſapientiâ intume-

nulli. Hoc ad consilium, vel potius, ut puto, ludendo qvandam latine loqvendi dexteritatem discipulis suis paraturus, iis permisit, qvotannis coram parentibus aliisqve civitatis incolis fabulas agere [44]). Hoc deniqve ad consilium pulchram illam cantilenam conscripsit, qvâ inter ludos suos vernales utebantur discipuli [45]).

Qvocirca, ludicra cum seriis Borupio miscente, prudenterqve cavente, ne plus illis, qvam his tribueretur, non est mirandum, scholam ejus sub auspiciis ita floruisse, ut discipuli ex omnibus patriæ regionibus, vel remotioribus, ad ejus disciplinam, veluti ad optimam litterarum officinam, confluerent [46]).

Monumenta scriptis consignata eruditionis suæ specimina nulla qvidem reliqvit Borupius, sed illa nec edenda svasit seculi barbaries,

---

scant, risus ac stultitiæ tandem ferant præmia, cum cogitata digestaqve ab illis sapienter armata robore et pollentiæ ostentatione a Filio Dei Jesu Christo contempto prius ac repudiato finaliter eludantur. Mansuram autem Ecclesiam, Deumqve suos e mediis persecutionibus ærumnisqve potenter liberaturum esse.

44) Thura id. hist. lit. pag. 72.

45) Afferetur hæc cantilena § 10.

46) Nobiles plures hoc tempore, qvam ullo alio, scholam freqventabant.

nec conſcribenda permiſit manus, qvod ſuſtinuit, oneroſisſimum. Nil enim dubitandum est, qvod aliunde etiam hiſtoricorum teſtimonio constat, ingenium ejus, optimis ſtudiis innutritum, optima proferre potuisſe, ſi hoc e re ſuâjudicasſet. Cæterum ſubtilitatem, qvâ in docendi munere excelluit, non incongrue hauſtam putat Lyschander[47]) ex ſtudio juris civilis, cui mature operam dedit, ſicut gustus pulchri venuſtiqve in poematibus ejus conſpicuus debebatur crebræ Virgilii lectioni, qvem in deliciis habuisſe videtur.

Dictio ejus, qvantum ex duobus breviuſculis fragmentis[48]) colligere licet, paululum qvidem ab ævi Auguſtæi auro recedit, ſed tamen congrua est nec inelegans, et, ſi hanc cum pluribus medii ævi ſcriptoribus compares, auctor non indignus videtur encomio, olim Saxoni tributo: "illum tanqvam ſidus in ipſis tenebris fulſisſe"[49]).

---

[47]) Pag. 395.

[48]) Præter odam vernalem, de qvâ infra § 10 dicendum est, reliqvit cantilenam inſertam carminibus heroicis Petri Septimii his verbis incipientem: "Clericali et Regali turbâ gaude Hafnia."

[49]) Non fieri potuit, qvin dictio Bornpii ex ævi more, de verborum delectu minus ſolicito et inprimis ex Patribns aliisqve Eccleſiaſticis libris, qvibus in theologicis ſtudiis fre-

Tandem Borupius, dimidio fere ſeculo Muſis Arhuſienſibus litato, ſcholasticoqve munere, qvod triginta plusqvam annos gesſerat, in ſenii levamentum, brevi ante mortem cum miniſterio ædis Clementinæ [50]) cantoratuqve Capituli [51]) permutato, decrepitam prope ſenectutem conſecutus, e vitâ diſcesſit anno 1526, annum octogeſimum agens.

---

qventisſime est uſus, colorem qvendam duceret minus clasſicum, cui vocabula tribuas: viror, dulcor, reſplendentia pluraqve, qvæ in cantilenâ (§ 10) occurrunt. Verum inſpicias qvæſo, plures mediæ ætatis auctores, et, ad illos, Borupium fere Ciceronem agnoſces Sumas v. c. teſtamentum Alſolonis ab amplisſimo conſesſu virorum illius ævi doctorum conſcriptum, et, absqve lingvæ vernaculæ cognitione, ex ejus tricis vix te expedies, legens (edit. Sperlingii pag. 9-16) de càppis forratis i. e. palliis villoſis pellibus ſubductis, Juppâ de pellibus griſeis (tunica expellibus ſciuro detractis confectâ) Coopertorio vulpino, Pallio magno de Lækatt, Lectiſternio forrato de Marturibus, ne dicam de ciſtis et biccariis eqvisqve blaccati et brunei coloris. De qva re vide plura apud Guldbergium (Skildring af Underviisningsvæſenet i Danmark i Niemeyer om Opdragelſen Tom. 2 pag. 469.

50) Vid. Sid. Selſk. Skrifter Tom. XI. pag. 393.

51) Münters Reformations-Hiſtorie Tom. 1 p. 116.

Sepultus est ex adverſo ſcholæ in coemeterio ſancti Clementis, ad orientalem ædis partem, ſcholam inter et templum medius. Cippus marmoreus orbiculatus ſepulchrum olim ornavit, caſuum qvandam varietatem non minus qvam vir, cujus oſſa texit, expertus. Cum enim centum fere annos polyandrium noſtrum ornaſſet, neſcio qvo fato factum est, ut terræ plane immergeretur, ibiqve per longam annorum ſeriem immerſus jaceret, donec reſuſcitato per Olaum Wormium patriarum antiqvitatum ſtudio, curâ Paſtoris Arhuſienſis Martini Herlovii [52]) circa annum 1690 priſtino honori reddebatur. Sed cum pedibus viatorum et lapſu aqvarum de turri præaltâ decidentium magis magisqve roderetur, ætati demum cedere cæpit, primumqve ruptus, qvin̄ tripartitus, aliqvamdiu jacuit, donec tandem ita evanuit, ut nullum jam ſuperſit ejus veſtigium [53]).

---

[52]) Pontoppidani marmor. Dan. Tom. 2, p, 118.

[53]) Vivido ſenſu hanc jacturam dolet patriarum antiqvitatum ingenioſiſſimus æſtimator Nyerupius, qvi in itinerario Arhuſienſi pag. 38 hæc habet: "Jeg vilde i min Eenſomhed i uforſtyrret Roe og med Sjælens hele Sands dvæle ved et Oldminde, ſom ſaa lidet og uanſeeligt det end maatte være, langt længere vilde kunne fængsle min Agtpaagivenhed, end hine Prælaters og Adelsmænds Ligſtene inde i Kirken. Uagtet jeg var fremmed i Byen,

Cum igitur metuendum ſit, ne damnum damno addatur, monumentoqve perdito curioſo antiqvitatum inveſtigatori ſpectatu minime indigno, ipſa hujus memoria certaqve notitia tandem pereat, e re eſſe duxi, cum mihi contigerit liber

---

og ikke för havde været paa Kirkegaarden, behövede jeg dog ingen Veiledning til at finde dette höihellige Mindesmærke. Af min Abildgaard vidſte jeg Stedet præciſe. Det var paa Kirkegaarden ved Kirkens öſtlige Ende. Jeg kom derhen og ſaae — Intet; ſögte paa langs og paa tvers og fandt — Intet. Denne ſaaledes ſkuffede Forventning var mig en höist ubehagelig Følelſe. Det jeg ſögde, var nemlig hiin aarhuſiſke Rectors Morten Borups Ligſteen, der ved det 15de Aarhundredes Slutning og det 16des Begyndelſe var vort Fædrelands meſt berömte Skolelærer, blandt hvis Elever man tæller en Canceller Johan Friis og 3 af Danmarks förſte evangeliske Biſper. Men denne Reliqvie, der, ſaa forſlidt og ödelagt den end var, dog tjente til at opfriſke Mindet af en fordums Hædersmand, den var nu borte. — — — Abildgaard fandt Aar 1770, at Stenen var af Marmor, meget beſkadiget og afſtödt. Den var 2 Fod og 5 Tommer i Diameter foruden Inſkriptionsranden, ſom var 5 Tommer bred. Af Inſkriptionen var ſaagodtſom intet tilovers, uden at der paa den ene Side lyntes at ſtaae: "artium".

De qvo tamen vocabulo in lapide Borupiii reſiduo a docto Abildgaardio rectius: ARTINUS qvam ARTI-

manuſcriptus [54]) exactam ejus delineationem præbens, huic oblivinioni utcunqve occurſurus, iconem cippi Borupiani æri inciſam huic oppellæ ſubjungere. Qvâ inſpectâ apparebit, cippum ha-

---

UM legendum fuisſe conjicio, exeſâ enim deletâqve temporis injuriâ primâ litterâ *to* MARTINUS, hæ litteræ remanent.

[54]) Exaratus est his liber ab ædituo templi Clementini Petro Schive circa annum 1730, tempore qvo adhuc adeo integrum illæſumqve erat monumentum Borupianum, ut Rector posterus Arhuſienſis Petrus Saabye — de qvo vide period. 2 § 4 N. 25 — ob fortunæ ſimilitudinem Borupii cippo corpus ſuum tegendum juſſerit et cum plus qvam 80 exhibeat icones, inſcriptiones et epitaphia rebus adhuc ſuperſtitibus exactisſime reſpondentia, nullum est dubium, qvin Borupii monumentum eâdem fide ſit delineatum. Tranſiit hic liber ex bibliotheca B. Hvidii, Regis a conſiliis juſtitiæ, ſummiqve, dum vixit, magistratus Arhuſienſis, dilecti mei ſoceri, me auctore ſvaſoreqve ad muſeum ſcholaſticum, ubi adhuc dum aſſervatur, titulum habens: "Aarhuus Domkirkes Antiqviteter og Inſcriptioner paa Ligſtene, Ligkiſter og Epitaphier med mere til Poſteritætens Efterretning, ſom for nogle og tyve Aar ſiden er ſamlet af daværende Underdegn Peder Pederſön Schive, men da Originalen var bortkommen, er den efter en Copie affkreven og efter Magiſtratens Befaling foröget af Chriſtian Cramer. Aarhuus den 30 Aug. 1752.

buisse nec figuras decussatim positas [55]) nec palam aliudve instrumentum agreste (furca excepta) [56]) sed, præter insignia muneris scholastici ferulam virgamqve, ætati magis qvam Borupio convenientia, furcam solummodo in natalium vitæqve juvenilis memoriam inscalpta fuisse.

§ 7.

Post Borupium, vacillantibus Ecclesiæ rebus inter pristinas tenebras novamqve Religionis lucem, res nostræ scholasticæ certo qvodam moderatore aliqvamdiu caruisse videntur, donec constituebatur, qvi in serie Rectorum Arhusiensium commemoratur: 2dus scholæ Rector, Petrus Windius, Viti filius qvi formulam Lutheranam amplexus: 1530-1546 plus minusve scholæ regimen tenuit. Laudatur in epitaphio templi Clementini adhuc superstite, ut dominus virtute et eruditione præstantissimus, ut et variarum lingvarum artiumqve gloria reverendus. Cæterum de ejus vita scholastica nil constat præ-

---

55) Qvod affert Albertius Thura (Id. hist. lit. p. 71.) Pontoppidanus (marmora Danica Tom, 2 pag. 118) et plures.

56) Conjectura Abildgaardii confer Nyerupii iterarium loco citato-

ter hoc, eum ante annum 1548 munus ſcholaſti-
cum cum paſtoratu ad ædem Arhuſinam ſancto
Olao dicat m commutasſe, qvo de ejus munere
hæc notatu digna ex veteri manuſcripto refert Pon-
toppidanus [57]): "Pastor ad templum Divi Olai
anteqvam Cætus ille ſocietati eccleſiæ Clementinæ
adjungeretur, fuit Dominus Petrus Wind, Viti
filius. Is cum ſacra facturus templum D. Olai
Dominicâ Eſto mihi Ao. 1548 ingrederetur, frâ-
gores audit et alia imminentis ruinæ [58]) præ-
ſagia, qvapropter ita jubente periculo, comitan-
tibus auditoribus ad fores templi Clementini ſe
ſiſtit, petitqve ibi locum dari ſuis auditoribus et
ſic copiam ex ſuggeſtu alternis concionibus verba
iis faciendi. Qvod cum accedente Magiſtratus
ſuffragio, facile impetrasſet, dextram fraternita-
tis Paſtori Eccleſiæ Clementinæ dedit, qvaſi unus
Grex et unus Paſtor inter ſe viverent pares, et pa-
ria præmia fraterne inter ſe parituri" [59]). Ex in-

---

57) Marmora Danica Tom. 2 pag. 111.

58) Hoc vocabulam deest in Mſt. ſed loco ejus est lacuna.

59) De Petro Windio cfr. Thura ed. p. 74. Paul-ſon catalogum paſtorum Arhuſienſium p. 15, Pontoppidan. marm. dan. l. c. Hertelii de-ſcriptionem templ. Clem. et librum qvi dici-tur, daticum, in chartophylaceo templi ſer-vatum, in qvo a. b. Jano Wormio ordo Rec-torum Arhuſ. accurate indicatus est.

ſcriptione ſarcophagi apparet eum mortuum eſſe die 15 Septbr. a. 1562.

§ 7.

De illuſtribus egregiisqve ſcholæ diſcipulis.

Qvod in laudem Arhuſiæ affert Olaus Wormius[60]), "eam tot eruditione præstantes protulisſe viros, qvot vix ulla alia totius Cimbriæ civitas", id imprimis valet de tempore ſacrorum emendationem præcedente. Doctas enim ad Athenas Borupii ſub auſpiciis florentes, veluti ad optimam bonarum artium mercaturam, confluebant undiqve juvenes, Atticæ eloqventiæ et eruditionis captatores.

Qvare nil est dubitandum, ſi verum est, qvod aſſerit Palladius[61]), pluries centenos diſcipulos, ſe puero, adiiſſe ſcholam Ripenſem et Roeskildenſem[62]), haud pauciores in ſchola Arhuſina fuiſſe, qvæ Borupii ſub ductu tam præclare audiebat.

---

60) Monumenta Danica p. 276.

61) Däniſche Bibliothek Tom. 1. pag. 173.

62) Verba ejus hæc ſunt: "Den Tid, wi ſom nu ere Klerche herinde, ginge thil ſkole och ware ſmaa ſincher, da maatte wi hen offwen paa ſkoleloſten, ſaa mange peblinge waar der, at der waar bode offven och neden, 700 udi Riber ſkole, 900 udi Röſchild ſkole."

Verum enim vero, cum nec qvot ſint diſcipuli, ſed qvales, qværendum ſit ei, qvi de ſcholæ bonitate justum ferre cupiat judicium, nec in genere ſit mirandum, illo tempore ad tantum numerum accrevisſe juventutem ſcholaſticam, cum per bina integra ternave decennia aliis negotiis impediti [63]) tererent pulverem ſcholaſticum; tamen Muſis Arhuſienſibus omnino est gratulandum, qvod tot egregios foverint alumnos, qvorum nomina omnis poſteritas æternâ memoriâ recolet, qvos inter heic ſolum nominabo:

1. Johannem Friſium, Cancellarium Regium qvi Othiniâ Arhuſiam celebritate nominis Borupiani adtractus, finitisqve ſtudiis ſcholasticis et academicis Vitebergam petiit, Lutherum inprimis audiendi cupidus, et ab hac reverſus — qvod in ejus laudem heic minime est reticendum — patriæ Regiqve præcipuus auctor fuit pontificiam doctrinam ejurandi. Cæterum ejus laus nec verius nec diſertius exprimi potest qvam verbis docti Vindingii [64]): Fuit hic optimis Regibus Friderico I., Chriſtiano III. et Frederico II. cariſſimus et in pretio habitus, ob fidem ac excellentes animi dotes et promtiſſimum ſtudium,

---

[63]) confer annot. 32.

[64]) Academia Haunienſis pag. 446.

qvod totos 50 annos Patriæ, ſub regibus qvatuor impendit: Eccleſiæ Dei in hisce regionibus nutricius et civis pientisſimus, Cancellarius prudentisſimus, Regni ſenator conſultisſimus, Academiæ conſervator primus, inprimis beneficus: Generis ſui nobilisſimi et univerſæ nobilitatis Danicæ ornamentum incomparabile: ſcholarum egregius fautor: pauperum juge ſolatium, oppreſſorum ara, afflictorum portus, ævi ſui deliciæ et omnium ordinum atqve ætatum multijugæ virtutis exemplar abſolutisſimum [65]).

2. Johannem Tauſanum Epiſcopum Ripenſem, Fioniâ qvoqve adventitium, qvi primum ſe gesſit eumqve intrepidum in regno Danico Religionis Lutheranæ præconem [66]).

3. Georgium Sadolinum, primum Rectorem Viburgenſem, unde Viburgius est cognominatus, deinceps Epiſcoporum primum evangelicum Fionienſem [67]).

---

[65]) Plura de illo vide Vindingii loc. cit. Holberg hist. dan. Malling de bene geſtis Danorum p. 495 et 562.

[66]) De qvo vide Wormii lexicon litt. Voll. 2, p. 461. Molleri Cimbriam litteratam Tom. 2, p. 886. Däniſche Bibl. Tom. 1 p. 1. Münteri hist. Reform. et Mallingii lib. de bene geſtis p. 337, 387 et 446.

[67]) Danſke Magazin Tom. 2, p. 67. Wormii

4. Jacobum Schönningium, Epiſcopum primum evangelicum Viburgenſem. Cujus de natalibus tenellaqve ætate cum nil certum constet, factum ſine dubio est, ut ejus nomen a Jano Wormio ex tabula ſcholaſtica [68]) ſit omiſſum, Lyschander [69]) autem, Pontoppidanus [70]) et Munterus [71]) eum diſcipulis Borupii accenſendum jure putant.

5. Johannem Synningium, (danice: Hans Simeſön) Theologiæ Doctorem et Profeſſorem Havnienſem. De eo inter alia narrat Vindingius [72]) "eum uxorem duxiſſe, qvæ ex alio ante nuptias concepiſſe deprehenſa est, ideoqve in Conſiſtorio concluſum fuiſſe, ut eam ante ſecundum ſolis occaſum ablegaret, vel ipſe numero

---

Lexicon Tom. 2, p. 304. Fyenſke Geistligheds Hiſtorie Tom. 1, p. 2.

68) Appenſa est hæc tabula lignea in ſuprema ſcholæ noſtræ claſſi, inſignitaqve ſtudio Jani Wormii nominibus diſcipulorum muneribus publicis postea præfectorum juxta edictum ſcholasticum d. 11 Maji 1775, nunc vero ad noſtrum ævum continuata cura præſentis Rectoris Arhuſienſis meritiſſimi.

69) Videnſk. S. Skrift. XI. p. 394.

70) Annales Eccl. Dan.

71) Hist. Reform. Tom. 2, pag. 360.

72) Acad. Havn. p. 68.

Profesforûm excluderetur. Cui ſenatus conſulto, litteris Regiis, in eandem ſententiam accedentibus parere coactus est" [73]).

6. Janum Andreæ (dan. Anderſen) qvem auctore clar. Müntero, [74]) diſcipulis Borupii annumerare nullus dubito, licet ejus nomen in tabula noſtra ſcholaſtica deſideratur. Inter primos nominatur, qvi ſemina doctrinæ Proteſtantium popularium animis inſperſerit, nam cum a fratribus Dominicanis Arhuſiæ degentibus, Romam eſſet miſſus, ut papiſticâ imbutus doctrinâ ejusdem fidus rediret propugnator, reverſus anno 1520 in ſummam fratrum ægritudinem intrepidus cauſſæ Lutheranæ apparuit patronus [75]).

His diſcipulis Borupii addi poſſunt, auctore Lyschandro [76]) Nobilis Torchillus Abildgaardius, (qvi teſte Müntero [77]) fuit inter primos Eccleſiæ Daniæ reformatores) Nicolaus Molſingius, Simon Chriſtiernus, plu-

---

[73]) De ejus vita ſcriptisqve confer Wormii lexicon 2, 459.

[74]) Reform. Hist. Tom. 1, pag. 347.

[75]) Plura de eo vide Münteri Ref. Hist. l. c.

[76]) Vid. Selsk. Skr. Tom. 11, p. 394.

[77]) Reform. Hist. Tom. 2, p. 345.

resqve qvorum nomina in tabula noſtra ſchol. haud ſunt allata.

§ 8.

Inter diſcipulos, qvos ſecundus Arhuſiënſis Rector Petrus Windius in univerſitatem Hafnienſem miſit, binos tantum excitabo:

1. Petrum Paulinum (dan. Paulſön), Græcæ lingvæ Profeſſorem, in Album Univerſitatis inſcriptum a. 1538.[78])

2. Erasmum Lætum (dan. Rasmus Glad) Theol. Doctorem et Profeſſorem Hafnienſem anno 1542 inter cives academicos receptum. Teſte Vindingio[79]), "munificentiâ Capituli Arhuſienſis vixit aliqvamdiu in academiâ, donec decreverant Profeſſores, ut nexu Canonicorum, ſi fieri poſſet, liberatus, in exteris nationibus aleretur. Ab his reverſus, munereqve Profeſſoris Dialectices, mox Theologiæ per biennium functus, ab officio Rectoris Univerſitatis, qvod a 1561 ſuſceperat, propter ferociam, auſteritatem (et alia crimina addit Wormius)[80]) juſſu Cancellarii Johannis Friſii dimotus est, cumqve primum lubens, indultu Re-

---

78) De eo vide Vindingium p. 70.

79) Ac. Havn. p. 108.

80) Lex. litt. Tom. 1. p. 568.

gio, mox invitus Profeſſioni ſuæ renuntiaſſet peregreqve commoraretur, in hac ærumnoſâ et difficili peregrinatione, nullo penu librorum, nullo hiſtoricorum præſidio, cum ſimul in magno luctu eſſet ob amiſſam conjugem pulcherrimam, egregia ſua ſcripta elaboravit Hamburgi, Coloniæ, Baſileæ, Francofurti et Patavii", ut nomine tantum non re et Lætus et Ἐράσμιος (amabilis) fuiſſe videatur[81]).

§ 9.

De rebus, qvæ in ſchola tractabantur.

Qvod ad res attinet, qvæ in ſcholâ nostrâ ab initio ſeculi XIII trecentos circiter annos docebantur, non multum differebant ab iis, qvæ in reliqvis Daniæ ſcholis ſunt traditæ, ab omni fere parte ſpectatæ tenues pariter atqve exiles. Si enim materiam reſpicias, in rebus verſabatur, qvæ juvenilem, qvin humanum captum intellectumqve plane excedebant, ſin formam, hæc ea fuit, qvæ rem per ſe obſcuram obſcuriorem magis impeditioremqve redderet, inqve causſâ eſſet, ut

81) De ejus vita ſcriptisqve confer Vindingium et Wormium locis citatis.

compendia ipſa novo commentàrio haud raro indigerent.

Sumamus lingvam latinam, qvam primas, ne dicam ſolas, in omni inſtitutione juvenili, ab ipſo ſcholarum ortu, tenuisſe constat, et reperiemus pueros ad prima lingvæ rudimenta ductos fuisſe per monſtrum aliqvod Grammaticæ latinæ[82]) latine conſcriptæ, et qvidem plerumqve hexametris verſibus, adeo obſcuræ[83]), ut multis iisqve ſpisſis commentariis haud melioris qvidem luti, ei lucem qvandam affundere conati ſint ſeriores Grammatici.

---

[82]) Alexandri puto Doctrinale, de qvo ut de reliqvis ejusdem farinæ libris, qvi in ſcholis noſtris antiqvisſimâ ætate prælegebantur, prolixe disputat Nyerupius in "Notitia librorum qvi ante Reformationem in ſcholis Daniæ prælegebantur cum Mantisſa ejusdem libri ex muſeo Hielmstierniano. Hafn. 1784 et 85" qvem lectoris horum curioſi conſuluisſe minime pigebit.

[83]) Paradigma primæ declinationis (ſi exemplum qværis) ita docetur:

Rectis as es a dat declinatio prima
Atqve per am propria qvædam ponunturHebræa.
Dans æ diphtongon Genetivis atqve Dativis.
Am ſervat qvartus, tamen an aut en reperimus
Cum Rectus fit in as vel in es vel cum dat a
græcus
Rectus in a græci facit an qvarto breviari.
Qvintus in a dabitur, post es tamen e reperitur.
A ſextus, tamen es qvandoqve per e dare debes.
Am Recti repetes qvinto ſextum ſociando.

Hocce improbo labore inter fletus verberaqve [84]) devorato, tantum abfuit, ut puero male vexato ad ipſos latinos auctores pateret aditus, (hi enim e ſcholis plane exulati fuiſe videntur) ut per Æqvivocationes[85]) Labyrinthumqve[86])

---

[84]) Chriſtiernus Petri fol. 8 om Börn at holde til Skole, Antwerpen 1531: "Ufornömſtige Skolemeſtere og Hörere flængde, ſlede og hudſtröge de fattige Börn, at Blodet löb ned af Ryggen paa dem i deres Hoſer for en Tytel eller Ords Skyld, ſom een foer vild udi, eller i ſine caſer og temporalyer".

[85]) Duo exſtant hujus nominis libri, alter Mathæi, alter Johannis de Garlandria, cujus disputandi futilitatis exemplar ſunto octo vocabuli terræ definitiones: Terra, inqvit, ſignificat 1) infernum unde Job: Anteqvam vadam ad terram tenebricoſam. 2) beatam virginem, unde Pſalmus: Veritas de terra orta est i. e. de virgine 3) Deum, unde: Dic tibi terra levem cæli ſupereminet apem. 4) unum de qvatuor elementis, et ſic dicitur, qvod terra est infimum elementum. 5) vitam æternam, unde Pſalmus: Portio mea, domine, in terrâ viventium. 6) carnem humanam, unde Job: Terra data est in manum impii. 7) hominem, unde in Geneſi: In principio creavit Deus cælum et terram. 8) eccleſiam militantem, unde Pſalmus: Viſitaſti terram.

[86]) Labyrinthus proprie erat carmen elegiacum de miſeriis Rectorum ſcholarum, qvo pueri, dum moleſtiarum miſereri adſveſce-

(qvæ dicebantur) deducendus esset ad jejunam exilemqve Philosophiæ, Rhetorices artisqve poeticæ notitiam. Hos enim libros scriptorum Classicorum loco in lingvæ latinæ perfectionem successisse existimamus.

Qvod in succrescentium puerorum animis genuerit hæc inepta spinosaqve litteras latinas tradendi ratio tædium, perspectu non est difficile. Ætas vitiosa vitiosiorem tulit, libriqve medii ævi, vel fugitivo oculo inspecti, ostendunt, lingvam

---

bant magistrorum, (forsitan ne ipsis magistris in terga sua sævientibus imprecarentur) simul notitiâ qvâdam artis poéticæ erant imbuendi. Miserum Rectorem his verbis compellat auctor Eberhardus Bethunensis:

Cor tibi decoxit curæ studiiqve caminus,
Afflixit corpus Parisiana fames.
Sicut divitibus est Parisius paradisus
Sic est pauperibus insatiata palus. -- --
Inde reversus eras nudatus veste, lucerna
Pallidus, exilis corpore, rebus inops.
Sed nunc cura gregis te mancipat, urit et arctat
Officii jure, sedulitate, metu.
Pervigilata tibi face nocturna, recitata
Sæpius excerebrat lectio mane caput.
Tædia multa tibi surgunt; tibi tradita qvisqve
Cum reddit, solo te residente loco.
Nec minus affligit te declinatio mane
Et sero pueris continuata tuis.
Dicere materias puerorum viribus aptas,
Crux gravis est curæ qvottidiana tuæ.
Versus audire, nefas ostendere, limam
Addere, non levis est versiculosa lues, &c.

latinam eo tempore barbarismis et ſoloecismis, qvam qvod maxime, foetuiſſe [87]).

De Græcis, ſi qværis in promtu est reſponſio in proverbio trito: Græca ſunt, non leguntur, qvod presſe et ad verba ſeqvuta est hæcce ætas: Nam compendium ſcholaſticum Græciſta vel Græcismus inſcriptum, qvod putat Wormius [88]) iſagogen qvandam lingvæ Græcæ continuiſſe, teſte Nyerupio, fuit ſolummodo grammatica latina verſibus hexametris conſcripta, et a paragrapho qvâdam, veluti nobiliore ejus parte, vocabula ex græco fonte deducta continente, Græciſtæ nomine inſignita [89]).

Nec melior deniqve erat facies Theologiæ. Hanc diſcebant diſcipuli ex libello: Facetus [90]) inſcripto, verſibus elegiacis officiis in deum utcunqve depingente [91]). Qvam ad diſciplinam for-

---

[87]) vid. § 5. not. 49.

[88]) Vid. Selſkabs Skr. XI. pag. 378.

[89]) Nyerupii Catalogus librorum in ſcholis ante Reformationem prælectorum pag. 29.

[90]) Vid. Nyerup. pag. 62.

[91]) Exempli loco ſit brevis regula data puero mercaturæ deſtinato pag. 63:

Qvi mercatoris doctrinam gliſcit habere
Noſcere denarios expetat ipſe prius
Cambiat attente, ne ſit deceptus ab nllo.

tan etiam referebatur pars Labyrinthi ſupra memorati, in qvâ, verſibus elegiacis, ita depinguntur mores puerorum, ut fere neſciverim, utrum hæc deſcriptio ad vitiorum fugam an ad pravorum exemplorum cognitionem plus contulisſe cenſenda ſit [92]).

Qvæ cum esſet indoles librorum elementarium, non est mirandum, Chriſtianum ſecundum, Regem, ut de re ſcholastica bene meritum, ita qvoqve in litteris minime hospitem, edicto qvodam, propriâ Regis manu vel ad ejus dictamen (ut putat Langebechius) [93]) a. 1521 conſcripto, nec tamen ob exilium Regis brevi ſubſecutum publici juris facto, ſancivisſe: omnes hos libros ineptos putidosqve Skulto, i e diſciplinæ publicæ miniſtro, esſe tradendos et ab illo igne comburendos [94]).

---

92) Pag. 44 hæc habet Nyerupius:

Corruptæ qvidam ſunt indolis, ut meliora
Displiceant, placeant deteriora ſibi.
Pro ſtudio cauponem, pro Doctore tabernæ
Proviſorem, pro codice ſcorta colunt.
Effrenes qvosdam vexat veſania mentis
Frenum non dat eis excoriata cutis.
Sunt hebetes: formam prius inſcribas adamanti,
Qvam capiant, qvod eis traditione ſeris.
Mane petendo ſcholas qvi cum teſtudine ſerpunt,
Saltatu leporis veſpere tecta petunt.
Qvælibet hora brevis diſcendi longa videtur
Ceſſandiqve dies emutilata ſibi.

93) Danſke Magazin Tom. 6, p. 359.

In promtu igitur est, judicare, qvantum ſupra ſeculum ſuum ſapuerit Borupius (et ad ſeculum nunqvam non dijudicandus est vir, ſi juſtum de eo ferre velis judicium) qvod illi contigerit, nullâ Regiâ auctoritate adjuto, has ineptias e ſchola ſuâ exterminare, melioremqve guſtum revocare, qvem ejus auctoritate exemploqve refocillatum per integrum ſeculum cathedram Arhuſienſem ornaſſe reperiemus.

§ 10.

De examinibus publicis et diſciplinâ ſcholasticâ.

Antiqvitus munus ingenia puerorum explorandi ſpeciminaqve profectuum excutiendi Canonicis delatum fuisſe, jam antea monuimus (§ 2). His vero cum ſordeſcere cæperint negotia ſcholaſtica, ad Epiſcopos tranſiit administratio, qvâ imperii mutatione non deterius rei noſtræ conſultum est, cum Epiſcoporum pleriqve, pro temporum modulo et ratione, litterarum doctrinâ exqviſitâqve eruditione egregii, litteratorum qvoqve ſe fautores et patronos præberent integerrimos [95]).

---

[94]) Mandatum de libris elementaribus deleudis hujusmodi est: "Oc alle gamle Alexandri Böger, Puerilia met Faceto, Per Laale, &c. them ſkulle the antworde wor Skultus, och lade them brænde". D. Mag. T. 6 p. 366.

Cæterum puerorum exploratio familiæ ſcholaſticæ vel adſcribendorum, vel, recenſione habitâ, in altiores claſſes evehendorum, penes Rectorem fuit, nec diverſam a reliqvis hac in re faciem habuit ſchola noſtra.

Qvod ad diſciplinam ſcholasticam attinet, tam ſiniſtre majores noſtros, ſi Borupium excipias, rem egisſe, non eſt diffitendum, ut, puniendi aſperitate, animis tenellis litterarum potius nauſeam qvam amorem ingenerarent.

Reſonabat domus ſcholaſtica, ut olim arx Priameia, gemitu miſeroqve tumultu, plusqve temporis haud raro impendebatur verberibus infligendis qvam ipſi inſtitutioni, ita ut optimæ ſpei adolescentes ob hancce puniendi immanitatem, inſtitutionem ſcholasticam χολην non σχολην experti, a ſtudio diſcendi plane deterrerentur. Et hacce de crudelitate ſi cum plagoſo Orbilio expoſtularet qvispiam, in promtu erat reſponſum: Tanti doctrinam meam emi, tanto eam vendam! Ii vero diſcipuli, qvi vitæ ſcholaſti-

---

95) Epiſcopos ſacramento adſtrictos eſſe ad curam ſcholarum gerendam, apparet ex Meurſii hist. danica cura Grammii pag. 898, ubi de primo Epiſcopo evangelico Arhuſienſi narratur, eum jurasſe: "ſe de ſcholis puerorum et in pauperes conferendis eleemoſynis ac bene diſtribuendis itidem ſollicitum fore".

cæ moleſtias eluctari non detrectabant, teſte Chriſtierno Petræo [96]), ſæpius præ terrore nec ad diſcendum erant apti, qvin verbis doctorum veluti lepores ad canum latratum contremuerunt. Qvod deſines mirari, ſi modo oculos conjeceris in tremenda illius ævi puniendi inſtrumenta, virgam carnifici qvam doctori aptiorem, ferulamqve clavis æneis diſtinctam et foramine medio ita inſtructam, ut manus tergoraqve illô certius dilacerarentur.

Cui immanitati occurſurus ſapientiſſimus legislator Chriſtianus ſecundus, qvi in domo Johannis bibliopegæ verſans, exemplo ſuo edoctus noverit, qvam dure in miſeros pueros conſulueriint illius ætatis doctores, mandato Regio jubere conſtituit: ferulam omnino e diſciplina ſcholaſtica eſſe tollendam [97]). Qvod utrum hic factum ſit, est qvod dubitem.

---

[96]) Danſke Magazin Tom. 1, p. 50. De umilde Skolemeſtere fordreve med umenneſkelige Slag og Hug mange gode unge Peblinge og Degne fra Skolen og god Lærdom. De forkuede og mange med ſtore Slag og Hug, at de ſadde ſaa redde ſom en Hare for Hunde, og kunde ikke komme i Hu hvad der ſagdes og lærdes for dem.

[97]) Danske Magazin Tom. 6. pag. 367: Schulle thii (Skolemeſterne) oc icki here effther haffve Ferler udi Skolerne, ſom thii her tiil haffdt

Sed his misſis, ad jucundiora tranſeamus narraturi qvædam

§ 11

De feſtis ſcholasticis.

Læta interdum juventati, durâ tetricâqvē diſciplinâ ſubactæ, datum iri ſtudiorum intervalla hilaritati dicanda, jam dudum viderunt antiqvi. Nec ab hocce more recesſit Borupius. Præter vacationes ordinarias hilaresqve conventus nuptiales, qvibus ſponſo ſponſæqve inter cantandum qvævis fausta apprecabantur diſcipuli [98]), duplex

haffwer, eller ſlaa Börnene vmaadelighe oc wſkellighe mett Riiff, ſom thii her tiil giortt haffwer".

[98]) Qvibus addi posſunt veſpertinorum carminum chori, qvi inprimis in Martinalibus natiqve Chriſti vigiliis a pueris, ſic dictis Davidicis, plateas circumcurrentibus decantabantur, de qvibus, cum nulla diſſerta mentio fiat in chartophylaceo noſtro, pluribus diſſerere jam ſuperſedeo. Hic tantummodo in memoriam revocabo feſtum Epiſcopale, a noſtro vernali haud multum diſſimile, olim habitum Flensburgi, et in programmate de Gregorio Magno a Johanne Möllero 1722 evulgato pag. 4 ita deſcriptum: "Feſtum Gregorii in Athenæo noſtro (Flensburgenſi) aliisqve vicinarum regionum juventuti vacationem paucarum tantum horarum a laboribus impetret ſcholaſticis, in plerisqve

festorum genus in antiqva historia Arhusiensi commemoratur, alterum foras, alterum domi habitum, de qvibus sigillatim pauca dicenda habeo.

1. Festum vernale ipsis Calendis Maji habebatur a juventute supremæ Classis, qvæ hocce die, post exactos menses hibernos, jucunditatem veris et appropinqvantis æstatis exceptura, in colle qvodam suburbano (postea Skandsen dicto) [99]) conveniebat. Hic cum alumnorum unum ducem elegissent, Comitem Majum vocatum, ejus pileum frondibus floribusqve ornarunt, ipsumqve per portam mari confinem solenni pompa deduxerunt.

---

tamen Germaniæ, præsertim superioris, Lyceis Lutheranis, majori pompâ solet celebrari. In his enim qvotannis die hoc D. Gregorii sacro memoriæ, cætus scholastici, duce commilitonum uno, Episcopo a ceteris electo, vestibusqve dignitati isti sacræ congruis induto et albatis illius satellitibus, nomina sibi angelorum tribuentibus in publicum prodeunt, ac singulas pervagantes plateas, cantilenis piis divina in se celebrant beneficia, puerosqve alios ad scholas invitant freqventandas".

99) Est collis, in qvo, imperatoris Germanici militibus has terras bello inundantibus, vallum postea est conditum a Wallenstein anno 1627, cujus reliqviæ hodiedum supersunt. Cfr. Pontoppidani theatrum Da-

Subſeqvebatur per urbem magna adoleſcentiam cohors, umbellas vel manu tenentium vel pectori affixas præferentium, plerumqve etiam in pileo geſtantium criſtas ex herbis, floribus vel ramuſculis arborum viridantibus decore concinnatas, qvam ponpam vocabant æſtatem in urbem invehere. Cantabatur interea per omnes urbis vicos hæcce cantilena a Borupio confecta:

In vernalis temporis ortu lætabundo.
Dum receſſum frigoris nuntiat hirundo,
Terræ, maris, nemoris decus adest de foris, renovato mundo.
Vigor redit corporis, cedit dolor pectoris, tempore jucundo.
Terra vernat floribus et nemus virore,
Aves mulcent cantibus et vocis dulcore.
Aqva tempeſtatibus caret, äer imbribus, dulci plexus rore,
Sol, conſumptis nubibus, radiis patentibus lucet cum decore.
O qvam mira gloria, qvantum decus Dei
Qvanta reſplendentia ſuæ faciei.
A qvo ducunt omnia, ſumma, ima, media formam ſpeciei,
Magis hæc diſtantia, qvam ſit differentia noctis et diei.

---

niæ pag. 373 et Slangii hiſtoriam Chriſtiani qvarti.

Conſumtâ hocce modo inter jocandum cantandumqve magnâ diei parte, graduqve facto ad honeſtiorum civium fores, ſub veſperam convenisſe videntur ſtipemqve collectam in mutuam lætitiæ fruitionem impendisſe [100]).

Alterum ſcholæ noſtræ feſtum annuo Borupii æro inprimis celebratum, nominatur:

Convivium magnæ Dominæ (vor ſtore Frues Gilde) in qvo dapibus Platonicis, vel potius Plautinis, gulæ doctarum convivarum indulſit pubes ſcholaſtica, qvæ in hocce feſto tenebatur, comoediis tragoediisqve agendis aliisqve ad litteras pertinentibus exercitiis ſpecimina ſui profectus edere coram parentibus aliisqve civitatis incolis ad hæc ſolennia invitatis.

Qvæ ingenium memoriamqve juventutis exercendi ratio a recentioris ævi pædagogis minime improbata [1]) et ad exemplum noſtræ alias in

---

100) Hoc qvoqve feſtum eodem modo ac apud nos in reliqvis Daniæ ſcholis celebratum fuisſe, diutiusqve in Coldingenſi qvam in cæteris viguisſe, apparet ex manuſcripto Alberti Thuræ § 3 citato, Nyerupii hiſtoria ſcholarum p. 56 et Terpageri Ripis Cibricis p. 566 et 723.

1) Exempli loco Baconem nominabo ſolum et Morhofium, qvorum ille in libro de dignitate et augment. ſcientiarum Tom. 1, 469, cap. 4 p. 349 hæc habet: "Actio theatralis

ſcholas poſtea introducta [2]) Borupio ideo qvoqve arriſiſſe videtur, qvod inter ludendum latine loqvendi dexteritatem ſuis propinatum iri judicaret.

---

memoriam roborat, vocis atqve pronuntiationis tonum atqve efficaciam temperat, vultum et geſtum ad decorum componit, fiduciam non parvam conciliat, deniqve oculis hominum juvenes adſvefacit, et hic in Polyhiſtoris Tom. 1 lib. 2, cap. 4 p. 345". Ad prudentiam formandam ſchola ſubſidia ſubminiſtrat, eaqve per actiones theatricas inſtituenda. Moroſi enim ſunt et inepti homines, qvi juventutem ab his exercitiis arcent, aut omnem Theathri uſum, cultioribus gentibus familiarem, e republica tollunt. Ut in republica comoedia ſchola populi est, ita in ſcholastica juventute ſchola actionum per theatricas actiones proponi potest. Longe firmius hærent in animo exempla virtutum per actionum ſimulachra propoſita, atqve illa ipſa actio characterum moralium et civilium lineamenta in animis teneræ juventutis ducit, ne postea in converſatione ſtipites ſint aut in alium ſibi orbem delati videantur. — — Qvare prudentes Scholarchæ, inter operas ſcholaſticas, exercitationes illas theatricas non tantum non improbarunt ſed ipſi præceperunt.

2) Inter leges ſcholaſticas Viburgenſes a. 1575 articulus 31mus hujusmodi est argumenti: Inter exercitia non poſtremum locum actio fabularum latinarum obtinet, qvæ qvando exhibendæ ſunt, omnes commenſales non ſolum ad theatri exſtructionem ſed et fabularum actionem ſub mulcta ſemidenarii adſint. Confer Nyerupii hist, ſchol. p. 62.

Hinc præter fabulas ex hiſtoria biblica petitas comoedias qvoqve Plautinas et Terentianas agendas curavit. Tantumqve nomen habuere ſpectacula Arhuſienſium, ut ipſe Regis Johannis Cancellarius, cum pluribus optimatibus iis interesſe haud dedignaretur, qvod apparet ex libro manuſcripto, ubi nomina ſpectatorum ſemper annotare ſolebant, qvem adhuc anno 1618, teſte Alberto Thura [3]) aſſervabat ſcholæ Rector [4]).

Horum ludorum abuſum, qvi alibi taxatur, occaſionem pueris præbentium in Bachanalibus magnum jejunium præcidentibus, mutatis veſtibus, monachorum aliorumve hominum perſonam mentiendi, Arhuſiæ qvoqve invaluiſſe, nullatenus comperui.

---

[3]) Hæc cum iis conſpirant, qvæ leguntur in Langebechii ſcriptorum rer. Dan. Tom. VII pag. 214 his verbis: "Porro refert idem Canonicus ſe omnem hanc Epiſcoporum ſeriem habere e libro, qvi dicitur: wor ſtore Frues Güldebog, qvem qvidem ſervari in bona cuſtodia apud Rectorem ſcholæ, et non ſolum nomina horum Epiſcoporum (Arh. ſc.) continere, ſed etiam enumerationem Epiſcoporum Ripenſium, Viburgenſium, Burglanenſium, Roſcildendium et qvorundam nobilium".

[4]) Rector ſcholæ decimus octavus Johannes Krogius.

§ 12.

Deſideraret forſan aliqvis curioſior rerum noſtrarum amator, formâ ſcholæ antiqvisſimâ utcunqve delineata, his pagellis a me additum iri recenſionem Diplomatum Regiorum, qvibus ab antiqvisſima memoria fundatus auctusqve est ſtatus noster ſcholaſticus, Præbendarum, prædiorum rusticorum, Decimarum, unde vectigalia ſua traxere ſcholæ doctores, et Beneficiorum; Redituum feſtivalium, nuptialium et funebrium, qvibus necesſitatibus diſcipulorum conſultum est, reliqvorumqve ad Oeconomica ſcholæ pertinentium. Qvæ vero omnia cum prolixe ſatis alibi ſint deſcripta typisqve mandata, et nimium inſuper ab illa brevitate, qvam mihi ſcripſi in his exarandis, esſent receſſura, Curioſos ſingula accurate noſſe cupientes, humaniſſime ablegatos volo ad Hofmanni fundationum Tom. 2, pag. 79-100. Pontoppidani annales Eccl. Dan. Ejusdem Atlas Danicum, Hertelii deſcriptionem templi Cathedralis Tom. 2, faſcic 111, Pag. 111 ff. pluresqve.

PERIODUS SECUNDA

ab anno 1546 ad annum 1739.

§ 1.

De mutata ſcholæ forma post Synodum Antworſchoenſem.

Qvæ de refingenda emendandaqve ſcholarum latinarum forma ſancita erant Eccleſiæ Ordinatione, anno 1537 evulgata, ea (qvæ ejusmodi mutationum est ratio, aliqvamdiu animos humanos varie tentantium, donec ſenſim ſenſimqve concocta veluti et digeſta in ſuccum ſangvinemqve vertuntur) ſtabilita demum auctaqve decretis Synodi Antworſchoenſis [1]) in corpus no-

[1]) Hæc addita ſunt formulæ viſitationis provincialis ſeu præpoſitorum, conſcriptæ a Doctore Petro Palladio et impreſſæ Hafniæ 1555. Qvem librum (ut plures ad rem meam facientes) ex muſeo ſuo inprimis rarioribus libris optime inſtructo, benignisſime mihi commodavit Epiſcopus noſter meritisſimus.

ſtrum ſcholaſticum ad totum influxiſe videntur. Nec defuit fructus hujus mutationis inſignis, in religioſa puerorum inſtitutione inprimis conſpicuus. Hæc enim, cum antea formulis qvibusdam ad litaniam ſpectantibus ſerviliter reddendis, pſalmisqve latinis in ſchola temploqve memoriter decantandis limitaretur, adjunctâ forſan tenui qvâdam jejunâqve placitorum, qvæ pontificia ſvaſit religio, notitiâ; jam ad purum et limpidum ſacræ ſcripturæ fontem pueros invitavit, "ut religionem qvam purisſime addiſcant atqve a ſimulatione pietatis diſcernere aſſveſcant"[2]).

Qvod ad cæteras diſciplinas attinet ad ingenium juvenile acuendum exercendumqve

---

[2]) Verba ſunt Ordinationis Eccleſiaſticæ, latine impreſſæ Hafniæ 1537, folio XXXVII, ubi hæc ſpecialiora de ſacræ ſcripturæ lectione injunguntur: "Provectioribus aliqvid ex novo teſtamento, ut Mathæus aut aliqvot faciles ſeu Pauli epiſtolæ, ſeu Pſalmi Davidici, ſeu proverbia Salomonis, pro juvenum captu, ſed ſimplicisſime prælegentur, et paulo infra: Et ut cura acuatur diſcendorum ſacrorum in pueris, non ſuffecerit illis multa prælegisſe, ſed hæc ipſa cogentur ediſcere, Primarii nudam Catechismi recitationem, alii ſimplicem ejus interpretationem, Qvartarii vero lectisſimos Pſalmos et certos aliqvot ſcripturæ locos, qvæ ne e memoria excidant, exiget tanqvam penſum diei ſabbatini præceptor, ut recenſeantur ordine memoriter".

ſpectantes, qvæ reliqvis in ſcholis — lingvâ latinâ exceptâ — partim neglectæ jacebant, partim perfunctorie tractabantur [3]), hæ tamen in ſcholis Arhuſina, qvamdiu genius Borupii ſubſellia noſtra animavit, non ſine fructu colebantur, qvod exinde etiam conjicere licet, qvod ſeculo ejus ævum ſeqvente ſeptem iiqve Theologiæ, Medicinæ, Matheſeos et Historiarum Profeſſores Hafnienſes tirocinii in litteris humanioribus rudimenta in ſchola Arhuſienſi depoſuerint. Hoc vero argenteo [4]) — aureum Borupianum ſolum dixerim — ſcholæ ſeculo elapſo (1550-1662), ad deterius paullatim vergere cæpit res noſtra, donec ſtudiis Jani Wormii refocillata pristino honori reddebatur.

Sed, ut ad recentes Reformationis fructus revertamur, ſchola Arhuſienſis hocce tempore in

---

[3]) Tacent tam Ordinatio eccleſiaſtica qvam Synodalia Palladii de lectione hiſtoriæ, geographiæ, ne dicam de lingvâ vernaculâ, *των παντων περιψηματι ἑως ἀρτι.* Qvid de græcis et hebraicis judicaverint Reformatores apparet ex Ord. Eccl. fol. XXXV. "Illis (ſupremæ claſſis pueris) poterit præceptor rudimenta græcæ lingvæ prælegere, verum ut id fiat ſine latinæ lingvæ dispendio. Neqve enim ferendi ſunt, qvi pueros græce et hebraice docere volunt, priusqvam promoverint mediocriter in latinis".

[4]) De qvibus vide infra § 8.

qvinqve clasſes erat diviſa, (ſexta poſtea addita est, ita ut in locum qvintæ ſuccederet, et prima, vulgo Sinke-Lectien vocata deſcenderet ad Abecedarios et Novitios, qvos dicebant, primis litterarum elementis imbuendos) in qvibus, juxta antiqvisſimam tabellam ſcholaſticam ſtatim post Synodum Antworſchoenſem confectam, præter Philippi Melanchtonis Grammaticam, Dialecticam et Rhetoricam variaqve exercitia Muſices ſic dictæ artificialis[5]) ſequentes auctores latini recenſentur prælegendi.

---

[5]) Qvanti majores noſtri habuerint exercitia Muſices, apparet partim ex formula viſitationis Palladii, ubi cuivis fere Claſſi injunguntur exercitia Muſices tam uſualis qvam artificialis, partim etiam ex recenſione ſupellectilis ſcholaſticæ A. 1681 a Rectore Nicolao Krogio confectâ, ubi inter ſcholæ Κειμελια recenſentur, præter 84 Volumina cantionum ſacrarum et ſymphoniarum in folio et 4to, inſtrumenta muſica, qvæ nominantur: Tenor-Basſuner, Sincker, Baſs-Violiner &c.

Nec ſcholam Arhuſienſem mediocriter ob peritiam muſices alibi audiviſſe, patet ex litteris Regiis Chriſtiani qvarti in chartophylaceo noſtro ſervatis, qvæ cum et breviores ſint et magni Regis de minimis curam teſtatam faciant, exemplar earum infra transſcribere non dubitavi:

"Vi Chriſtian den Fjerde &c. Vor ſynderlige Guuſt tilforn! Vi bede Eder og

In prima clasſi: Donatus legendi rationem et Cato conſtruendi modum monſtrans;

In ſecunda: Æſopi fabulæ pro exercitio grammatices, colloqvia Erasmi, ut diſcant latine loqvi, ſententiæ proverbiales, ut diſcant copiam lingvæ latinæ;

In tertia: Terentii et Plauti Comoediæ puriores pro exercitio grammatices, epiſtolæ Ciceronis pro latine loqvendi et ſcribendi uſu;

In qvarta: Metamorphoſes Ovidii, Epiſtolæ ad familiares, ratio conſcribendi carmina et libellus Muſices artificialis;

In qvinta: Opera Virgilii et Ciceronis officia.

---

ville, at I udi Eders underhavende Skoler lader udſöge trende Skoleperſoner, een af de bedſte Basſiſter, Tenoriſter og Altiſter, ſom dygtige og tjenlige kunde blive udi voris Cantery for Muſikanter at bruges, og dennem ſiden hid til Voris Kjöbſted Kjöbenhaffven, til Voris Under-Capellmeſter Mogens Pederſen med forderligſte Leilighed lade fremſkikke. Dermed ſkeer vor Villie. Befalendes Eder Gud. Skrevet paa vort Slot i Kjöbenhaffvn den 8 Februar 1618.

Under Vor Seigl
Chriſtian."

Til
Os elſkelig, hæderlig höilærde Mand
Jens Giödſen
Superintendent over Aarhuus Stift!

De reliqvis ſcholasticorum exercitiis non multum a præſcriptis Palladii diſcedentibus, vide Nyerupii hiſtoriam ſcholarum pag. 15, ubi decreta ſcholaſtica ſynodi Antworſchoenſis accurate transſcripta leguntur.

§ 2.

Continuatio.

Qvod laudabile veterum Clasſicorum ſtudium, ad exemplum præſcriptumqve Lutheri tanqvam præſtantisſimum ingenii cultus præſidium omniumqve notitiarum involucrum tironibus commendatum, ſenſim ſenſimqve in ſchola noſtra ita deferbuisſe, qvin defrixisſe videtur, ut, vergente ſeculo decimo ſeptimo, duæ eæqve breviores Orationes Ciceronis et loca qvædam ſelectiora, qvæ vocabantur, fabularum Terentii, Ponticorum Ovidii et Eclogarum Virgilii ſolummodo legerentur. Qvin ipſa Grammatica latina docentibus moleſtiam creavit. Hujus enim docendæ provincia doctores ſcholæ noſtræ adeo torſit, ut plus qvam ſemel a Chriſtiano qvarto admonerentur de Grammatica Torrentina cum Dionyſii permutanda, Regiqve cum reſcriberetur ab Epiſcopo, novam hujus formam eam meleſtiam facesſere miſeris ſcholæ doctoribus, ut, qvomodo inde ſeſe expedire posſent, omnino neſcirent, illis qvidem

rem condonavit, ſed Epiſcopo injunxit: neminem in poſterum ad munus ſcholaſticum admiſſum iri, niſi qvi novam methodum prius calluiſſet [6]).

Hæc in lingvam latinam, inprimis vero in veteres auctores malignitas, ab aliis Cimbriæ Rectoribus vel ſeriori ætate non aliena [7]) neſcio

---

[6]) Litteræ Regiæ datæ ſunt ad Epiſcopum Arhuſienſem Hafniæ 29 Novembris 1622 et d. 17 Februarii 1723. Ultimæ hujusmodi ſunt argumenti: Vi bede og alvorligen befale Eder, at I aldeles ingen tilſteder noget Schollemeſters Kald och Beſtilling att erlange, vden ſaa er, att hand haffver nogen Zedel och Beviis fra M. Jens Dyniſen, at hand forſtaaer den formam, at inſtituere Börn efter den ſamme, hans nylig forfærdigte grammaticam.

[7]) Exemplum petam ex ſchola Hottersneſienſi, cujus Rector, cæteroqvin meritiſſimus nec ad verum rectumqve videndum cæcutiens Ericus Bredalinus, anno 1694 ut videtur Epiſcopo Arhuſienſi juſſu Regio ab illo, ut a cæteris dioeceſeos Rectoribus propoſita inſtitutionis ſcholaſticæ commodius inſtituendæ reqvirenti, hæc reſcripſit: "Hic hæreo tanqvam mus in pice aut cantherius in foſſa, efterſom at indlade ſig i denne Sag, er ikke andet end at udlade ſig med mange berömmelige Mænd, ſom ſynes de fortjener Sted in puppi, oc neppe under os andre locum in ſentina. Dog, at kyſſe Stövet under ſin Konges Födder, ſynes mig, at hedenske Bögers Læsning burde udryddes af de christne Skoler og allene Herrens Bog (udi hvilken fattes hverken det eene el-

utrum debeatur ζηλῶ Theologorum [s]), qvicqvid Paganismum ſuboleret, alto ſupercilio ſpernentium, an edicto Chriſtiani qvarti ſiniſtre interpretato, qvo lectio poetarum interdicitur, qvia nominibus deaſtrorum erant referti [g]), Qvic-

---

ler det andet, Eſaias 34 Cap. 16 Vers) med nogle korte og grundige meditamentis bleve læste i deris Sted, thi da bleve de Unge mindre forgiftede af hedenſke Lögne og Blasphemier. Nonne blaspheme dixit Pythagoras: *Καταχθονιους σεβε δαιμωνας* ɔ: tartareos cole deos. Nonne portentoſum effutit mendacium Homerus, Soli tribuens gloriam, qvæ Soli Deo debetus *'Ηέλιος ὁς παντ' ἐφορᾶς και παντ' επακούεις.*" &c. &c.

[s]) Qvantus hic antiqviori ætate fuerit, conſtat ex regulis qvibusdam grammaticis a Nyerupio (Mantiſſa librorum pag. 18) ex libro qvodam antiqvo titulo carente citatis, qvæ hujusmodi ſunt: "In atriis tuis Jheruſalem, Jheruſalem, qvæ ædificatur ut civitas, (verba ſunt verſionis vulgatæ ex Pſ. 122 verſ. 2 et 3). Pergit auctor: "Est hæc latina? Est permiſſive latina, auctoritate ſacræ ſcripturæ. Ea enim est ſacræ ſcripturæ majeſtas, ut grammaticæ legibus non ſit ſubjecta, qvæ per divinam revelationem et ſpiritum ſanctum manifeſtata est; et per ſanctos patres nobis adminiſtrata, qvi, ſpiritu ſancto pleni, non ad grammaticas leges reſpexerunt ſed revelatam veritatem ſimpliciter expreſſerunt. Nos igitur hujusmodi conſtructionibus uti non debemus, ſed eas propter auctoritatem ſacræ ſcripturæ permittere".

qvid est, hoc minime Regi, nec ipſi αμεσῶ nec in lingvâ latinâ mediocriter verſato vitio eſſe vertendum, eo certius colligere licet, qvo clarius conſtat, illum huic abuſui ſapientisſime conſultum ivisſe, jubendo: Neminem in album academicum receptum iri, niſi ad minimum ſe congruum in lingvâ latinâ præbuerit.

Qvod vero, veterum auctorum contemtu, ſolidæ eruditionis fecerant damnum, id qvodam-

---

9) Chr. IV Receſs 1 Bog 1 Cap. 5 Art. "Desligeſte paa det Vngdommen deſsbedre til GVds Fryct kand opdrages, beſynderlig at vorde ſkickelige GVds Ords Tjennere i ſin Tid, da ſkal ingen herefter tilſtedis, at komme og annammis udi Univerſitetit, ſom icke i det ringeſte er congruus in lingva latina oc forſtaaer faciliores textus græcos N. Teſtamenti, oc ſin Börnelærdom, oc dends Forklaring udi ſin rette eenfoldige Meening veed nockſom at forſtaae, förſt efter Lutheri lille Cathechismus oc ſiden efter den ſtore, ſom aff hannem ſkreffven er. Hvor dette er, oc vel at paamindis, at de ſom lære den Chriſtne Ungdom, i Skolerne, legge deris ſtörſte Vind paa, at de Vnge haffve Daglige Exercitia oc Öffvelſer ſom tjene rettelig til ſand Gudfrygtighed, oc at de lære at ſkye de hedenſke Affguders Naffvne, ſom findes i mange Böger, der ellers endnu ere i Brug, i Serdelished udi Poeſi, oc andet ſligt, hvorudi de hedenſke Affguders Naffvne offte indföris, i den Sted GVds alleene oc hans hellige Naffn burde at bruges".

modo reſarcire putabant illius ævi doctores formularum phraſiumqve theſauris, amplificationum troporum et figurarum συλλογαις, et exercitiis carmina latine pangendi diſcipulis injunctis. Ita in tabellâ noſtrâ ſcholaſticâ inter metas diſcipulis ſupremæ Claſſis A. 1694 a Rectore Jano Mundelſtrup præſcriptas diſerte leguntur hæc verba: "Diſcant ante omnia ſtylum latinum elegantiis floſculisqve conſpergere".

Cum vero veſtigia antiqvorum

qvibus ingenium, qvibus dedit ore rotundo
Muſa loqvi

ut canit poeta [10]), illæſo veri rectiqve guſtu non facile deſerueris, nec qvâ a tenui ungvi pueri imbuuntur lingvam latinam perverſe æstimandi ratione, eâ adultiori ætati liberari ſolent: evenit qvoqve illi ætati, qvod de ſuâ qveritur Qvinctilianus [11]):

"A corruptisſimo qvoqve poetarum figuras ſeu translationes mutuamus, tum demum ingenioſi ſcilicet, ſi ad intelligendos nos opus ſit ingenio. Atqvi ſatis aperte Cicero præceperat, in dicendo vitium vel maximum eſſe, a vulgari ge-

---

10) Horatii Ep. ad Piſones v. 323 ubi de Graiis loqvitur poeta.

11) Qvinctiliani de inſtitut. orat. provemium ad libr. 8.

nere orationis atqve a conſvetudine communis ſenſus abhorrere. Sed ille durus atqve ineruditus, nos melius, qvibus ſordent omnia, qvæ natura dictavit, qvi non ornamenta qværimus ſed lenocinia, qvaſi vero ſit ulla verborum, niſi rei cohærentium virtus".

Ne vero vineas noſtras ſolum cædamus[12]), conjiciamus oculos in reliqvas Daniæ ſcholas et

---

[12]) Nec ab hocce pruritu lenocinia captandi alienam ſe præſtitit ipſa academia Hafnienſis hoc modo invitans ad feſtum Reformationis celebrandum A. 1729: "Qvod refloreſcentium temporum lætitiæ ſacrum ſit, post invitum proximo priore Anniverſario Jubilæo, ſed indictum eheu! eheu! Camoenis noſtris ſilentium juſtitiumqve, ob igniferam eandemqve horrificam prorſus diluviem et funeſtas per Metropolitana tum privata, tum publica, in qvibus auguſtum Minervæ Arctoæ delubrum, rabioſi Mulciberi gvaſſationes vere ſacrilegas, convocamini, purioris Chriſtianismi aſſeclæ; non ad feſtum in ſacris Hieroſolymitanis lucernarum accendium, ſed ad repurgati Candelabri Evangelici optatiſſima qvædam qvaſi Phosphoria, eo, qvo par est cultu vobisqve celebranda, nempe qvod in æſtimabilis Dei miſereſcentis benignitas ante duas ſupra decem ac ducentas hiemes Ovili ſuo ab heterodoxo Caco, infulato Aventini Romani incola, preſſo et tantum non oppreſſo, per orthodoxum Alciden et tertii ab hoc ſeculi tertium omnino Eliam B. Martinum Lutherum, fulminantis ſpiritûs calamiqve Evan-

audiamus peritisſimum, ſi qvem alium, rei judicem Chriſtianum Falſterum triſtem rei ſcholaſticæ ſtatum ita deſcribentem (de biblioth. ſchol. pag. 6). "Introite, qvæſo, in ſingula fere patriæ pædagogia, non certe Deos invenietis (qvod olim Heraclitus Epheſius dixiſſe fertur) invenietis umbras, collapſa videbitis tecta, fractos muros, labefacta fundamenta, imo jurabitis tantum non, bonas inde artes aut armis hoſtilibus ejectas, aut peſtilenti ſidere percuſſas, aut impia Juliani alicujus fraude expulſas. Heu qvantum ſeptentrionis eruditi dehoneſtamentum! Ecce alimus araneas paſſim tanqvam diſcipulos, paſcimus teredines, qvibus prædæ ſunt inveterata et jam fere exeſa vetuſtæ juventutis nomina. Indecoro pulvere et ſqvalore horrrent loca, qvæ decoris qvondam diligentiæ ſordibus gaudebant. Certe

---

gelicum Prophetam, otia pretioſa fecerit, ſtabiliverit, conſervaverit, adeo qvidem, ut, detracta mimico præſtigiatoris Vaticani vultu larva, difflatis ſpiritu divino inanibus Papæ pappis, exploſis reſectisqve Bullarum nundinariarum bullatis nugis, per luſtra plus qvam qvadragena tranqvillum abhinc fuerit et circa forum boreæ eccleſiolæ leniſſima, ringentibus cucullatis papis, et obluctantibus tam arte, qvam Marte Capitolinis centuriis, Alcedonia, piiſſimo grati ammi affectu agnoſcit Univerſitas Regia Hafnienſis, &c. &c.

profecto Eumenio Rhetore nunc opus est, qvi pro Reſtaurandis Scholis oſim ad Conſtantii Imperatoris Præfectum Galliarum eloqventisſimo dixit. Patrono opus est, qvi causſam ſcholarum apud Principem ſerio agat, ut hic injurias ab illis mature et *βασιλικως* defendat".

§ 3.

De Conrectoratu et Gymnaſio Arhuſienſi.

Non obſcurum curæ, qvâ res ſcholasticas et litterarias amplexus est Rex Chriſtianus qvartus dedit documentum præficiendo ſcholæ Conrectorem, induſtriæ docentium et diſcentium una cum Rectore invigilaturum alternaqve cum illo vice ſupremæ clasſis diſcipulorum inſtitutioni operam daturum. Litteræ Regiæ de hocce munere apud Arhuſienſes inſtituendo datæ ſunt Haſniæ die 23 Martii 1618 et impreſſæ leguntur apud Nanneſtadium in Hilariis Arhuſienſibus Pag. 104. De officiis Conrectoris ſtatuta ſcholæ Arhuſienſis anno 1671, ut videtur, epiſcopi auctoritate munita hæcce continent:

1. Habet clasſis ſuprema hoc præ aliis peculiare, qvod in eâ jam duo ſint, qvibus docendi, per vices, munus demandatum est, Rector videlicet et Conrector, qvi ſit qvoqve Magister artium vel omnino Candidatus Magisterii Philoſophici,

et cælebs vivat interea, ſicuti et cæteri præceptores inferiores claſſium.

2. Rector autem et ille Conrector licet dignitate qvidem et ſalario impares ſint, ut ſolus Rector retinens totum prius ſtipendium ſuum præſit per omnia et dispenſandi poteſtatem majorem habeat, ubi uſus fuerit: authoritate tamen in univerſum apud docentes reliqvos ſimul et diſcentes pares eſſe debent qvoad partes doctrinæ et diſciplinæ. Ideo Rectori et Conrectori æqvalem omnes obedientiam et reverentiam præſtabunt. Rectori tanqvam ſuo magiſtratus obtemperabit Conrector i. e. Rectori parebit Conrector, tanqvam eſſet ipſius magiſtratus, qvod tamen non est.

3. Munus docendi qvod attinet, alternatim in ſupremâ docebunt claſſe, et horas atqve lectiones pro voluntate Rectoris, qvam fieri poterit, commodiſſime, inter ſe partientur. Interim ambo ſimul adeſſe ſingulis horis debent, ut, uno docente in ſupremâ, reliqvarum omnium lectionum inſpectionem alter habeat, Conrector per totam horam, Rector, qvantum potest, obſervaturus, inter claſſes hinc inde ambulando, num docentes et diſcentes ſimul recte faciant officium; illi auctores bene explicando hi diligenter lectionibus attendendo, voces recte pronuntiando nec qvicqvam præter officium faciendo.

4. Si qvando Hypodidaſcalorum aliqvis abfuerit, ne qva negligentia committatur, abſentis diſcipulos docebit ſtatim Inſpector illius horæ et poſtea rationem abſentiæ ab eo exiget. Atqve id etiam faciet rogatus prius, cum fuerit neceſſe. Et ſic fiet etiam in clasſe ſupremâ, ſi qvando vel Rector vel Conrector minus ipſe adeſſe potest.

5. Alternatim etiam dabunt in ſuprema clasſi ſtyli et exercitationum argumenta, bis in ſeptimanâ, diebus videlicet Mercurii et Saturni, ſed ſimul eâdem hora dierum Lunæ et Jovis qvartâ emendabunt ambo, qvæ in iſta clasſe concepta fuerint: præterqvam qvod et heic per cæteras clasſes aliqva inſpectio interdum reqviratur neceſſario.

6. In templo, dum ſacra peraguntur, adſit alter perpetuo ad minimum; atqve id det operam, ut diſcant ex ſcholâ, qvotqvot interſunt, reverenter habere, qvæ hic fiunt univerſa, qvo ſemina veræ pietatis una cum ſenſu illius interno inſtillentur religioſe tenellis animis.

7. In beneficiis conferendis, ſicut et Collegis adſciſcendis, Rector adhibeat conſilium Conrectoris.

8. Conrector nihil petat eorum, qvæ prius Rectori erant pro Salario, neqve Rector, qvæ

Conrectoris jam conſtituta ſunt, niſi inter eos amice convenerit de aliqvibus, conſcio et conſentiente interim Superintendente.

9. Si Muſicam direxerit Conrector, et id commode præſtare potest, inde qvoqve fructum aliqvem ſentiat, ſicut æqvum fuerit.

10. Concionando ſe exerceat uterqve, qvantum potest, et ubi ex ſcholis ejusmodi, diſcipuli ſuperiores ſe accinxerint ad talis officii progymnasmata, id indicatum prius faciant omnino, altero hoc approbante et præſente ad minimum: ut admoneantur ſtatim de illis, qvæ hic minus recte facta fuerint". Hactenus leges ſcholaſticæ.

In univerſum autem utrum hoc munus ſcholaſticum hic et alibi plus ſcholæ commodis an Rectoris commoditati contulerit et qvam mature clasſium inferiorum, qvæ Conrectori injuncta fuit inſpectio in deſvetudinem abierit; hic pluribus disqvirere ſuperſedeo, feſtinans ad aliud patriæ patris beneficium, prospero qvidem ſucceſſu defraudatum nec minori tamen honori Regi beneficentisſimo cedens:

Gymnaſium Arhuſienſe vel Collegium cathedrale, cujus fundatio nova (antiqvior cujus anni ſit, neſcio) in chartophylaceo templi Clementini aſservatur Regiâ

manu ſigilloqve munita et conſignata die 17 Maji 1639.

Conſilium, qvod in hocce Collegio erigendo ſibi propoſitum habuit Rex his verbis teſtatur: "Ut obviam eatur enormitati illi, qvam Eccleſiaſticis hucusqve inolevisſe comperimus, nimirum qvod juventus non bene fundata ad Univerſitatem noſtrum ſaltum faciat, et post non ſatis inſtructa ad ſacra munia provehatur crudaqve ſtudia in templa propellat".

Juvenibus igitur civitatem academicam ambientibus biennium in hoc Gymaſio erat degendum, ne illotis plane manibns ſacra academica attrectarent. Teſte Nanneſtadio [13]) ſignificat mox in limine ſerenisſimus Rex non ſuffecturos juxta prima meditamina tres tantum Profeſſores, Rectorem nempe Conrectorem ac Lectorem Scholæ ordinarios, ſed adjungendos omnino eſſe Lectori Profeſſores ternos, ita ut Rector et Conrector ſcholæ tanto diligentius informationi vacarent ſcholaſticæ, qvæ illos plus ſatis indies fatigaret, niſi onere prælectionum in Collegio Gymnaſii qvotidianarum inſuper gravarentur. Ideo qvatuor conſtituit Profeſſores Gymnaſii: 1. Lectorem,

[13]) Hilar. Arhuſ. Pag. 120.

tanqvam Theologiæ et lingvæ ſanctæ Profeſſorem, 2. lingvæ latinæ ſive eloqventiæ Profeſſorem, 3. lingvæ græcæ et Arithmetices Profeſſorem, et 4. Philoſophiæ Profeſſorem.

Cæterum Sanctio Regia abſolvitur paragraphis viginti duobus, qvi ad verba conſpirant cum Fundatione Gymnaſii Othinienſis, qvæ typis impreſſa legitur in Blochii hiſtoria Cleri Fionici, faſciculi ſecundi Pag. 252-266.

Qvo majora ſibi ſperavit Rex ex hocce bonarum litterarum φροντιςηρίω, [14]) eo magis dolendum est, idem noſtro accidiſſe, qvod de Ripenſi qveritur Terpagerus [15]), "tam ſalutare conſilium et inſtitutum eventu caruiſſe, et tam infelici ſidere, neſcio qvo, discuſſum, niſi tempeſtas belli et erruptionis hoſtilis mox inſecutæ Athenæum hoc noſtrum, ut ſuſpicor, in partu ſuffocavit".

§ 4.

Series Rectorum Arhuſienſium [16]).

Tertius ſcholæ Arhuſienſis Rector (vid. ſupra Per. 1 § 5) erat:

---

14) Qvod in programmate ad feſtum inaugurationis Gymnaſii Othinienſis illud vocat doctus Holgerus Reſencrantzius.

15) In Ripis Cimbricis pag. 489.

Simon Chriſtierni Wrolde[17]), postea eccleſiæ Weilbyenſis pastor[18]).

---

[16]) Præter Catalogum Rectorum Arhuſienſium, qvi reperitur in ideâ rei litterariæ pag. 71, duplex mihi contigit MStum. hanc rem illuſtrans, alterum Jani Wormii in libro datico Arhuſienſi, alterum Alberti Thuræ in valvis ſcholarum apertis. Qvas tamen recenſiones ſingulas non minus in chronologiâ definiendâ, qvâ ſibi invicem ſubſecuti vetuſtioris ævi Rectores, qvam in tempore, qvo munere functi traduntur, invicem conſpirantes, cum qvæ hic ſit penuria librorum res hiſtoriæ litterariæ illuſtraturo qvam maxime necesſariorum, nec ſibi conciliare, nec pro certo corrigere potuerim; in catalogo Jani Wormii, Viri, ſi qvis alius, antiqvitatum litterariarum peritisſimi, eo certius acqvieſcendum eſſe duxi, qvod ipſe fateatur Albertus Thura, ſe, qvicqvid tradiderit de Lectoribus, Rectoribus et Conrectoribus ſcholæ Arhuſienſis, id ſolum acceptum referre auctoritati Johannis Corvini, collegæ V classis ſcholæ Arhuſienſis, certiorem ſe in epiſtolâ hac de re facientis.

Cæterum, ſi cui libuerit accuratiorem hac de re inſtituere *κρισιν*, is præcipua, in qvibus discrepant codices noſtri, in notulis a me allata reperiet.

[17]) Apud Albertum Thura ordine qvartus.

[18]) Cum huic vix tempus relinqvatur vivendi inter Rectorem antecedentem et ſubſeqventem, neſcio qvâ chronologiâ uſus ſit Hertelius (Deſcript. templ. Clement Tom. 2, pag. 405) putans eum Rectoratum una cum Paſtoratu gesſisſe, ultimumqve munus totos 31 annos.

4. Mag. Laurentius Bartholinus (danice: Laurids Bertelſen)[19]) Natus est A. 1514, patriam habens Cimbriam et qvidem Dioeceſin Ripenſem[20]). Munus Rectoris geſſit, teſte Wormio, 1547-1550, deinceps Paſtor ad D. Virginis ædem Arhuſiæ fuit 1550-1557 et tandem Epiſcopus dioeceſeos Arhuſienſis 1557-1588. Reliqvit binos ſermones funebres, alterum in nobiliſſimum Holgerum Roſenkrantzium, Regni Daniæ Mareſchallum, impreſſum Hafniæ 1576, alterum in nobiliſſimam Dominam Pernillam Oxe. Hafn. 1584.

5. Mag. Jacobus Mathiæ (danice: Jacob Madſen)[21]). Hic vir doctrinæ poſtea laude florentiſſimus, celeberrimusqve Academiæ Hafnienſis Profeſſor, munere Rectoris tantum per biennium 1564-1566 functus est[22]). Natus est

---

19) Hujus nomen in utrâqve recenſione Alberti Thuræ omittitur, nec pro certo aſſeri potest, utrum Arhuſiæ an alibi fuerit Rector, ſaltem hac in re hæret Paulſonius in bibliotheca Arhuſienſi dicens: Rector ſcholæ et miniſter verbi divini erat, ſed an Arhuſienſis vix dicere poſſum. Dolendum est, nihil præter nomen de primis Lutheranis Epiſcopis Arhuſienſibus nobis relictum eſſe (cfr. libr. cit. pag. 54).

20) Hvitfeld in Chronic Epiſcoporum pag. 102.

21) In A. Thuræ idea N. 3 et ejusdem valvis N. 4.

22) In computatione Wormianâ est igitur lacuna 14 annorum (?), cum Bartholinus anno

Arhuſiæ 1532, cur Arhuſius etiam cognominatur. Cauſam, cur ſe munere Rectoratus tam matnre abdicaverit affert Vindingius [23]) his verbis: "Cum non uno et altero auctore legendo esſet contentus, ſed omnibus, in qvibus aliqvid ſaltem utilitatis relucebat, cognoſcendis, ſingularem et raram eruditionem ſibi comparandam ſemper judicaret, et hanc eruditionis cupiditatem ſitimqve maximam explere cuperet: a 1566 in Germaniam ſe contulit.

6. Mag. Olaus Olaides Hottersneſiensis [24]). Qvi tamen, me judice rectius ante, qvam post Jacobum Mathiæ Rectoratum gesſisſe putandus est, qvoniam anno 1565 mortem obiisſe dicitur, postqvam aliqvamdiu ante mortem paſtor fuerat eccleſiæ B. Virginis Arhuſienſis [25]).

7. Mag. Johannes Philippi Pratenſis [26]) inter illuſtria muneris noſtri ſcholaſtici

---

1550 Rectoratu ſe abdicasſe et Mathiæ a. 1564 eandem ſuſcepisſe dicatur. De vita ſcriptisqve Mathiæ cfr. Vindingii Acad. Hafn. pag. 131-36 et Wormii Lexicon litt. Tom. 2, p. 22.

23) Acta Acad. Hafn. loc. cit.

24) In A. Thuræ idea N. 5 ejusdem valvis N. 3.

25) Hertelii deſcript. templi Clement. Tom. 2' faſc. 3 pag. 466.

26) Ab hoc tempore Catalogus Alberti Thuræ cum Wormiano conſentit, ſi unum discre-

decora ſuſpiciendus ob divinum ingenium multiplicemqve, qvâ ornabatur, eruditionem. Ex familiâ Gallicâ Arhuſiæ est ortus a. 1543, peregreqve aliqvamdiu profectus familiariſime Tychone Brahæo uſus, per qvinqvennium rem Medicam ſummâ cum laude profeſſus est in Academiâ Hafnienſi, donec in ipſâ cathedrâ, vomitu ſangvineo, ex ruptâ per tuſim vehementiorem venâ, orto, inter manus auditorum fato ſubito exſtinctus est circa annum 1576 [27]). Rectoratum hujus ſcholæ geſſit circa A. 1565.

8. Mag. Esbernus Canutius Arhuſienſis.

9. Mag. Johannes Laurentii, filius Laurentii Bartholini, qvarti ſcholæ noſtræ Rectoris.

10. Mag. Laurentius Nicolai.

11. Mag. Laurentius Petræus Bording, postea Theologiæ Lector, mortuus anno 1601 ætatis A. 59.

12. Mag. Petrus Severini Kinderup. Hic cum Vitebergæ litteris operam dediſet, ut vir non vulgariter edoctus, a Rege Frederico 2do

---

pantiam excipias post Rectorem decimum ſextum, de qva ſuo loco dicendum est.

27) De ejus vita ſcriptisqve confer Vindingium Pag. 128. Worm. lex. Tom. 2, pag. 217.

commendatus est Capitulo Arhuſienſi, et ab hocce Capitulo, muneri ſcholaſtico, ſi illud unqvam gesſerit, præfectus videtur 1578 [28]). Exſtant apud nos litteræ commendatitiæ Regis datæ die 17 Martii 1578.

13. Mag. Johannes Laurentii Oldorph, auctore Wormio Rector ſcholæ 1578 (?) — 1593. Deinceps Paſtoratum ad templum D. Virginis per duodecim annos gesſit et mortuus est a. 1605 æt. 49.

14. Mag. Johannes Petræus Hotterſneſienſis, antea ſcholæ patriæ Rector, noſtro præfuit 1593-1601. Superest ejus, auctore A. Thura, Catalogus Epiſcoporum Arhuſienſium ab anno 948 ad 1584 MS in bibliothecâ Reſenianâ aſſervatus.

15. Mag. Petrus Olai Arhuſienſis ſcholæ Rector circa a. 1601 per breve admodum tempus. Scripſit orationem de febribus peſtilentialibus 1594 in 4to.

16. Mag. Johannes Laurentii Zeuthen [29]), Rector ſcholæ anno 1602 [30]).

---

[28]) Qvoniam hic per duodecim annos 5 Rectores allatos deprehendimus, ſuboritur dubium, annon cujusdam Lectoris Theologiæ nomen irrepſerit in ſeriem Rectorum.

17. Mag. Chriſtianus Laurentius Bording, Rector ſcholæ circa 1604 [31]).

18. Mag. Johannes Jacobi Krogius gener ſuperioris, ſcholæ præfuit 1605-1618.

19. Mag. Christianus Johannes Arhuſius, filius Petræi Hottersnenſis (N. 14) ſcholæ Rector fuit 1618-1633.

20. Mag. Jacobus Canuti, Rectoratui demum a. 1635 est præfectus, cur est, qvod ſuſpiceris hoc munus per biennium in commodum ejus vacasſe peregre interea commorantis. Cum Rectoratum per 18 annos gesſisſet et interea ſummis in philoſophia honoribus esſet ornatus, A. 1653 litteris Senatus academici Hafnienſis ad Profeſſionem Theologicam est vocatus. Laudatur a Vindingio [32]) ut vir recti amans, a disſimulatione

---

[29]) Ad hoc tempus novum Rectorem a cæteris omisſum habet A. Thura, in valvis ſcholarum apertis hæc obſervans: "Johannes Severini fidem ſollertiæ in moderamine ſcholæ dedit Epiſcopo 1603 fer. 2 Pentaçoſtes, prout de illo memorat MStum., qvod posſidet amicus meus Othenianus, licet hæc verba non auctoris, ſed alterius manu ſint deſcripta, ipſo nobiliſſimo Profeſſore teſte. Ego proinde illum addendum cenſui, ne penitus interiret ejus memoria".

[30]) Cfr. Wormii Lexicon Tom. 2, p. 641.

[31]) Worm Tom. 1, pag. 135.

alienus gravis et modeſtus, in rebus gerendis maturo utens judicio familiamqve pie et frugaliter regens [33]).

21. Mag. Nicolaus Nicolai Krog, doctor ſcholæ fere ſemiſæcularis, natus in Norvegia anno 1615 primum qvintæ claſſis fuit Collega Epiſcopiqve a manu, a qvo mox conſtitutus est ſcholæ Conrector, usqve dum a 1647 Rectoratui est præfectus, qvod officium gesſit cerciter 38 annos, defunctus 1685 æt. 71.

22. Mag. Laurentius Laurentii in defuncti Rectoris locum ſuffectus, mortuus anno 1692 per qvinqvennium munere Rectoris functus. Tres ab illo in Academia Hafnienſi habitas diſſertationes nominat Thura in apertis valvis, qvæ ſi operæ pretium ſunt, lexico Wormiano ſupplendo inſervire posſunt. Summam 50 imperialium ſcholæ legavit, cujus ex uſuris libri diſcipulis pauperibus annuo erant coemendi.

23. Mag. Janus Mundelſtrup 1692-1701. Teſte Wormio, in Academia degens famam habuit eruditionis variaqve ſcripſit qvorum hic exſtat diſſertatio de pomis Sodomiticis 1683 in 4to.

---

32) Acad. Hafn. pag. 404-407.

33) Plura de eo vide apud Vindingium l. c. et Wormium Tom. 1 pag. 207.

24. Mag. Georgius Rhodius 1701-1728. cui falſo tribuit Thura epitomen Elegantiæ Bangianæ ab ejus patre Conrectore Arhuſienſi conſcriptum (vid. § ſeqv. N. 9.)

25. Mag. Petrus Janus Saabye, Rector ſcholæ 1728-1732. Ex parentibus ruſticis natus ad annum decimum ſextum operam agreſtem exercuit, cum, hujus pertæſus, aratrum cum libris permutavit, locum in ſcholâ Cruciſoranâ, cujus moderator fuerat, anno 1727, vivente adhuc M. Georgio Rhodio ad munus Rectoris ſcholæ noſtræ est vocatus, cui præfuit ad annum 1732.

Moriens juſſit corpus ſuum condi ſub tumulo Borupii ejusqve lapide tegi, indicaturus ſe, qvoad educationem ſortemqve juvenilem, huic non eſſe diſſimilem. Sed nec ex qvovis ligno fit Mercurius nec Petrus Saabye magis fuit Borupius post, qvam ante membra ſua ſepulchro ejus ingeſta.

26. Mag. Johannes Kyndeſen Schmidt 1733-1752 e ſchola Grenoviana, cui antea præfuerat, huc vocatus.

§ 5.

Series Conrectorum ſcholæ Arhuſienſis [34]).

1. Mag. Chriſtianus Petræus Tiſtad, 1618-1620 ſcholæ Conrector ſimulqve Pastor Eccle-

ſiarum Hasle et Aabye, et niſi ex triplicis muneris moleſtiâ peſtilentiæqve, qvæ tum in Cimbriâ grasſabatur, terrore ſe qvam maturrime expediendum judicasſet, rebus forſitan ſcholæ noſtræ diutius conſulere perrexisſet. Hanc miſeram ſcholæ patriæqve conditionem deſcribit in oratione valedictoriâ habita Arhuſiæ 1720, his verbis [35]). Ecce heri eramus in tenebrarum et mortis terrore, hodie reſtitutis brachio roboris Dei ſidus affulſit clementiæ ejus ſalutare. Jam e gurgite calamitatum emergit Eccleſia Danica „ ſqvalorem exuunt Academia Regia et ſcholæ in Dania, univerſum deniqve regnum e calamitoſisſimâ peſtilentiæ tempeſtate, e furiarum faucibus, e morbis, e morte per Dei dexteram illam eluctata, caput attollit iterum et pristinam faciem induit. Opto igitur, ut ſchola noſtra, qvæ triſtisſimo peſtilentiæ fato collapſa ferme atqve disſipata nuper fuit, ita exſurgat, ut qvantum reliqvis ſcholis in Cimbriâ præſtare Arhuſienſem celebritate et numero docentium voluit Rex, tantum etiam diſciplinâ et diſcentium profectu ſeſe efferat". Qvod ulti-

---

[34]) De his cfr. Thuræ id. hist. lit. pag. 76 et 77 et Paulſonii Recenſ. Paſtorum Dioeceſeos Arh. pag. 18-20.

[35]) Inſcribitur hæc oratio: Tranſitus Arhuſio — Hafniacus et impreſſa est Roſtochii 1623.

mum auctoris votum non absqve causſa idoneâ prolatum fuisſe videtur. Abiit Tiſtadius Arhuſiâ an. 1620 munus Profesſoris Phyſices et Geometriæ in Gymnaſio Lundenſi nuper condito capesſiturus et laudatur ab A. Thura tanqvam poeta non infimi ſpiritus [36]).

2. Mag. Severinus Andreæ Morſingius 1620-1629, munus Conrectoris, qvod litteris commendatiis Profesſorum Academiæ Hafnienſis ad Epiſcopum Johannem Ægidium datis referebat acceptum, demum commutavit cum lectoratu Theologico 1729.

3. Mag. Laurentius Nicolaus Fogh brevi admodum et, ut videtur, tantum per ſemeſtre tempus munere Conrectoratus geſto, ad paſtoratum ruralem est vocatus.

4. Mag. Severinus Petri Sommer 1630-1631, hunc dum apud exteros vixit Epigrammate honoravit Winstrupius, poſtea, anno inter Arhuſienſes conſumto, in ſuum infortunium virgam cum pedo commutare decrevit, nam cum ad Paſtoratum Hvirringenſem esſet vocatus, a Polonis terras noſtras Punicâ fide ab injuriis Svecorum

---

36) De ejus vita ſcriptisqve cfr. Wormii Lexicon Tom. 2, pag. 495 et Krarupii ſeriem Conrectorum pag. 5.

defendeutibus coram altari inter ipſa ſacra inter fectus est A. 1659.

5. Mag. Nicolaus Andreas Holm, vel ut in Programmate Magiſtrali nominatur Wadomius Conrector fuit 1631-1635 qvo anno ad ædem D. Virginis Alburgenſem vocabatur.

6. Mag. Chriſtianus Borchgreving 1635-1641 postea Paſtor Hornslettenſis.

7. Mag. Nicolaus Nicolai Krog 1641-1647. In Rectoratu Profeſſori Canuto poſtea ſucceſſit (cfr. § 4 N. 21.)

8. Map. Andreas Nicolai Regelius Conrectoris munere fungens 1647-1661, Rector fuit et vocabatur et non fuit. Nam cum Rector fuiſſet apud Hottersneſienſes, Conrector factus est apud Arhuſienſes, et cum ad Rectoratum hujus ſcholæ votis tenderet ejusqve vices cum ſpe ſucceſſionis jam aliqvamdiu ſuſtinuiſſet, morte abreptus est die 23 Decembris 1661.

9. Mag. Johannes Rhodius 1661-1679. Natus d. 6 Jan. 1625 in parochiâ Kellinge inſulæ Alſiæ, circa annum 1650 factus est Collega 5 Cl. hujus ſcholæ, deinde 1660 Conrector ſcholæ Othinienſis et deniqve 1661 Conrector et Vice-Rector hujus ſcholæ a Dr. Jacobo Mathiæ, cujus gener erat deſignatus. Morte interceptus est Viburgi 1679, unde corpus ejus Arhuſiam est deductum,

ut in ſepulchro Epiſcopali conderetur. Ab eruditionis laude non fuit alienus ſcriptaqve reliqvit inter illius ævi libros elementares non exigui nominis: Epitomen elegantiarum Thomæ Bangii et Comenii orbem pictum danico-latino-germanicum.

10. Mag. Laurentius Laurentii Arhuſienſis 1679-1685, qvi cum per ſexennium Conrectoris muneri præfuisſet, tandem in locum defuncti Rectoris Mag. Krogii ſucceſſit, tertius qvi exſpectatione hujus muneris erat detentus, nam Regelio Rhodioqve ante eum ad id deſtinatis ſuperſtes fuerat ſeptuagenarius ille ſenex Nicolaus Krogius (cfr. de illo § 4 N. 21.)

11. Mag. Janus Nicolai Mundelſtrup 1685-1692 (cfr. de eo § 4 N. 23.)

12. Mag. Georgius Rhodius 1692-1701, filius Johannis Rhodii ſupra ad N. 9 memorati. Qvadriennium Hypodidaſcali munus ſuſtinuit, anteqvam Conrectoratui admovebatur. A. 1701 ſucceſſit Jano Mundelſtrupio in Rectoratu (vid. § 4 N. 24.)

13. Mag. Baggæus Junghans 1701-1717, natus Coldingæ 1663, ubi poſitis litterarum fundamentis datisqve in Academiâ laudabilis profectus ſpeciminibus, nobilium virorum liberos per aliqvot annos inſtituit. A. 1693 ſch. Arh. Collega

est constitutus et A. 1701 Conrector ejusdem scholæ, cui officio præfuit ad diem necis 18 Febr. 1717. Vegetum in illo ingenium fuisse, declarant versiculi ejus, qvi apud nos conduntur, manuscripti.

14. Mag. Janus Jani Mundelstrup 1717-1729 filius patris ejusdem nominis (vid. supr. N. 11). Finitis studiis academicis patriæ scholæ, vicenariâ fere operâ (1709-1729), qvam acceperat, institutionem fideliter reddere conatus est Collegæ 2dæ, 3tiæ, 4tæ, 5tæ classis et demum Conrectoris partes sustinens. A. 1729 Pastor primarius ad ædem D. Virginis Arhusiensem factus est.

15. Dn. Johannes Hammer 1729-1740. Finitâ peregrinatione litterariâ, qvâ ut præceptor domesticus comitatus fuerat filium herois illustrissimi Pauli de Lövenörn ad munus Conrectoris est admotus. A. 1740 vocatus est ad pastoratum Helsingensem in Siellandia.

Observ. Omnes hi Conrectores simul erant Pastores parochiarum Hasle et Aabye, qvæ prope Arhusiam sunt sitæ.

§ 6.

De moribus disciplinaqve scholastica.

Qvam seculi genius, primis post emendata sacra temporibus, præ se ferebat morum asperi-

tas[37]), non minus noſtram, qvàm alias patriæ ſcholas, intactam reliqvit, ſed eo licentius apud nos est grasſata, qvo alienior erat conditio noſtra a laude poetæ[38]):

- - - ingenuas didicisſe fideliter artes
Emollit mores, nec ſinit esſe feros,

qvâ ſolâ barbariei indeqve orienti morum pravitati tutisſime obviam itur.

Huc accedebant externa malorum irritamenta, qvæ diſcipulos (diaconos dictos) finitimam regionem, ſacrorum curandorum causſa[39]), ſuo arbitrio relictos[40]) peragrantes ad laſciviam et

---

37) Vide diſſertationem G. L. Badenii ſupra laudatam.

38) Ovidii Epist. Pont. libr. 2, Ep. 9 v. 47.

39) Ex relatione Mag. Krogii a. 1681 Epiſcopo datâ conſtat diſcipulos Arhuſienſes in parochiis plusqvam triginta cantui ſacrō præfuisſe.

40) Ab inſolentia, qvam militibus edicto gravi interminatur Fredericus tertius, diſcipulos noſtros, ludis ſcenicis adſvetos, haud plane immunes fuisſe, ex ſchedis ſcholaſticis colligere fas est. Interdictum Regium ita ſe habet: "Efterſom vi komme i Erfaring, at nogle under Militien ſig underſtaaer maſcherit og ſvertit adſkillige Inſolentier at begaae. Thi haffve vi naadigst for got anſeet, at derſom nogen herefter maſcherit, formummet eller ſvertit ertappis, da de at anholdis og ſtraffis, ligeſom di nogen Modtvillighed i Gjerningen begaaet haffde, anſeende ſaadan

ebrietatem, inter convivia nuptialia et funebria ſæpisſime alliciebant, qvod in causſa qvoqve fuit hujus ſcholæ Conrectori Mag. Regelio de hocce abuſu in epiſtolâ a. 1654 ad Epiſcopum Jacobum Mathiæ data, ita conqverendi: "Parochiarum ruralium adminiſtratio non parum retardat, et certe multos præclaræ alias ſpei pueros ita ſenſim ab officio avocat et oblatâ in nuptiis debacchandi occaſione corrumpit, ut a Muſis plane abhorreant, Bacchо et otio dediti. Integrum ſæpe triduum in parochiis deliteſcunt, jam funus ſibi præcinendo curatum eſſe prætendunt, jam cæli injurias" &c.

Qvæ cum eſſet morum feritas modo latius graſſans modo ſeveris decretis ſynodalibus[41]) pau-

---

Formummelſe til den Ende alleene ſkeer, at de Ubekjente kan gjöre hvad de ville og derfore blive uſtraffet. Hvorefter alle og enhver, ſom vedkommer, ſig kan vide at rette og for Skade at tage vare. Giffvet paa vort Slot Kjöbenhaffn d. 4 September 1660.

Friderich R.

41) Cum monita ſynodalia Arhuſienſia, qvæ huc pertinent, mihi ad manum non ſint, ex Othinienſibus a. 1585 et 1586 exempla petam, qvorum, inter plura, hæc a Blochio in hiſtoria Cleri Fionici Tom. 1, pag. 46 recenſentur: "Sognedegnene aff Scholerne ſkall holle ſig aff Dantz, naar Bröllup ſkeer y theris

lulum reſtricta, non est mirandum illius ævi ſcholarum magiſtros, cum, qvâ malum compeſcerent, præſentiorem ignorarent medelam, ad cruentas illas, qvas horeſcimus, puniendi rationes confugisſe. Qvibus tamen in contumaces et refractarios juvenes, adultos ſæpiuſcule et bene barbatos, ſi tantummodo uſi fuisſent, minus hoc illis vitio datum fore crediderim, qvam-qvæ res erat-qvod fuſtibus plagisqve ſæviendo unicam putarent viam, qvâ litterarum elementa pueris tradi posſent, atqve adeo πικραν παιδειας ριζην redderent πικροτερην.

Cum vero moroſi iſti Orbilii infauſtâ opinione eſſent imbuti, omnem inſtitutionem fructu eſſe carituram, qvæ non per verbera verbis pondus conciliaret; uſu apud nos invaluit, ut manibus doctoris muneri ſcholaſtico inaugurandi, ſub titulo ſceptri ſcholaſtici, ſollenniter traderetur vir-

---

Sogner: oc ſtrax maalthid er ſkeed om Mandagen ſkall di holle ſig hiem thill deres Schole, ſom oc er tilkjendegiffvet y dette neſte forgangne Aars Synodalibus: er det ſaa at nogen Sognedegn gjör herimod, da ſkall hans Paſtor klage det for Præpoſito". Et paullo ſuperius: "Diaconi ſcholaſtici non ferantur a paſtoribus vel choreas ducant, vel potent largius, ſicuti una cum iis invitati fuerint in parætio: ſed finito prandio paſtorum monitis aut domum redeant, aut alio divertant ibi ſine ebrietate pernoctatum".

ga formidoloſa,[42]) et, licet hic non exſtiterit, qvantum eqvidem ſcio, legitimum aliqvod cædendi ſyſtema, qvale, inſcriptum Jus virgarum, apud Viburgenſes fuisſe tradit Nyerupius[43]), non tamen est, qvod opineris, diſcipulos noſtros, qvia libero doctorum arbitrio terga eorum relinqverentur, ideo levioribus plagis fuisſe mulcatos.

Qvæ hic in uſu fuere in graviora delicta ammadverſiones erant: Conjectio in Carcerem [44]) et Jus Clasſium, qvod dicebatur. Qvorum hoc ad noſtra fere tempora invaluit, et in eo erat, qvod reus ſive ab omnibus ſive a certæ clasſis alumnis, nudato tergo, virgis ad id datis plecteretur.

---

[42]) Worms Skolehiſtorie pag. 383.

[43]) Nyerups Skolehiſtorie pag. 143.

[44]) Cum Fundatio Gymnaſii Arhuſienſis § 10 juvenibus ſocordibus et refractariis minetur Carcerem (verba Regis ſunt: "At ſættes i Hullet paa Vand og Bröd"), non leviorem pueris ſcholaſticis exſpectatum iri pœnam, in promtu est videre. De carcere ſcholaſtico Ripenſi hæc leguntur in bibliotheca danica Tom. 1 pag. 170: "Magister Udo propter rigiditatem diſciplinæ et res novas inviſus carcerem ſcholaſticorum collocavit in ipſa ſchola, ſed ſcholaſtici grandiores, factâ conſpiratione, ſecuribus carcerem ligneum comminuerunt".

§ 7.

De feſtis ſcholasticis.

Qvousqve feſtum vernale ſupra deſcriptum[45]) in uſu fuerit, pro certo aſſeri neqvit, ſed ex ſchedis ſcholaſticis conſtat, fabularum actionem, usqve ad initium ſeculi decimi ſeptimi, inter exercitia ſcholaſtica maximo in honore fuisſe. His neminem non diſcipulorum interesſe oportebat, et qvanqvam ſeriores Rectores Arhuſienſes non ipſi prodieruut fabularum auctores, tamen alumnos ſuos diligenter exercuerunt in repræſentatione fabularum, theologici maxime argumenti, qvas amplisſimi illius ætatis viri Episcopus Ripenſis Hegelundius[46]), Præſul

---

[45]) Cfr. Per. 1, § 11.

[46]) Petrus Jani Hegelundius, teſte Vandalio in præfatione ad theatrum danicum Hafn. 1776, primum fuit Rector, deinceps Epiſcopus Ripenſis ubi mortuus est anno 1614. Scripſit fabulam ſub titulo: "Suſannæ Friſtelſe og Befrielſe, Tragico-Comoedia Xyſti Betuleji Augustani Khvn. 1578", cujus in dedicatione ad Sophiam Reginam Regis Frederici ſecundi inter alia affertur, hanc fabulam bis actam fuisſe, primum Ripis a ſcholæ diſcipulis A. 1576, deinceps Hafniæ in palatio Regio 1577 ad feſtum auli-cum ob felicem Reginæ a puerperio in templum exitum, qvæ ultima repræſentatio a more conſveto in eo diſcesſisſe narratur, qvod

Coldingenſis Severinus Severini[47]), Paſtor Viburgenſis Hieronymus Juſti[48]) et Rectores Jacobus Jacobi Wolff[49] Laurentius[50])

---

púer mox ab initio, fabulæ argumento metrice indicato, virgulâ qvadam monſtraret hiſtrionum, qvi adfuit, qvemqve cultu ſcenico indutum, et explicaret qvam perſonam ille eſſet acturus. Præter hanc fabulam ſcripſit Hegelundius, dum ſcholæ Ripenſi præfuit, qvinqve alias, qvæ inſcribuntur: De Abelo et Caino, de Abrahamo, de Lazari in vitam reditu, de leproſis decem et de homine divite et Lazaro. Plura de Hegelundio vid apud Wormium in lex. lit. Tom. 1 pag. 413.

47) "Om Abrahams Lif og Leffnet, en Leeg udſat paa Danſk af Seffren Seffrenſen Borgemeſter udi Colding".

48) Hieronymus Juſti edidit tres fabulas a ſe ipſo inventas, qvorum binæ Arhuſiæ (forſan in uſum diſcipuloruuu) ſunt impreſſæ. Exſtant ſub titulis: 1. "Kong Salomons Hylding Khvn. 1585 in 4to". 2. "Samſons Fængſel d. e. en ynkelig Tragoedie om den dræflige ſtærke Krigshelt Samſon, Aarhuus 1646 in 4to". Inter alias perſonas hæc fabula habet qvinqve diabolos, qvi Philiſtarum, caſu templi Dagonis occiſorum, morte exſultant. 3. "Karrig Nidding d. e. en Comoedie om en ſulten og karrig Hosbonde og hans Hustru. Aarhuus 1633 in 4to".

49) Rector fuit ſcholæ Ringstadienſis et ſcripſit Tragoedias duas de Didone et Turno impreſſas Hafniæ 1591 et Francofurti 1595 in 4to.

Johannes Thomæus [51]) et Janus Kieldſen [52]) in uſum juventutis ſcholaſticæ confecerant.

§ 8.

De egregiis ſcholæ diſcipulis.

Latiorem hic campum, qvam qvem percurrere licet, mihi apertum video; et qvanqvam animus jucunde moratur perluſtrando Catalogum diſcipulorum, qvorum plurimi, virilem ætatem nacti, et munerum gravitate et doctrinæ copia de patria litterisqve optime fuere promeriti, tamen Qvinctiliani [53]) de velis mature contrahendis remisqve inhibendis conſilii memor, decem

---

[50]) Vixit circa annum 1596 et edidit verſionem danicam fabulæ Terentianæ inſcriptam: Eunuchus Terentianus in Rhytmos danicos.

[51]) Scripſit Cleopatram, tragoediam hiſtorico-metricam. Hafn. 1608 in 8vo.

[52]) Fuit Rector Ripenſis postea pastor Landskronenſis et edidit fabulam de hiſtoria Joſephi, qvæ, teſte Vandalio (l. c.) acta est Ripis ad celebrandas nuptias Epiſcopi Jani Dionyſii (Jens Dyneſön) a. 1630, metrica est, qvinqve actus et 23 perſonas habens, qvos inter enumerantur: Deus, Pharao, Potipharius, Jacobus ejusqve duodecim filii, Mercatores, Magi, Potiphari uxor Sephira pluresqve.

[53]) Prooemium ad inſtitut. orat. libr. XII.

tantummodo ex lætiori ſcholæ epochâ excerpam nomina; qvoad reliqva lectorem curioſum delegans partim ad tabulam noſtram ſcholaſticam, partim ad libros, ubi de vitis rebusqve virorum memorabilium fit mentio [54]).

Annus, qvo in alb. academic. ſunt relati:

1559 Jacobus Mathiæ, qvi depoſito 1566 Rectoratu Arhuſienſi, cum nihil in litteris tam reconditum et abſtruſum putaret, qvod non laboribus et meditationi aſſiduæ hominis ſagacis demum eſſet ceſſurum, ſingularem, qvâ flagrabat, eruditionis ſitim expleturus totum ſeptennium et amplius in exteris academiis degit, reverſusqve triplicem Profeſſionem 1574-86 Hafniæ ſummâ cum laude ſuſtinuit.

1560 Johannes Pratenſis, (vid ſupra §5 N. 7) cujus omnigenam eruditionem, doctrinæ, ſi qvis alius, æſtimator peritiſſimus Tycho Brahæus his laudibus extollit:

Occidit, ah dolor! ah! juvenilibus occidit annis

---

54) Verbi cauſa Wormii, Wolffii et Koefodii lexica &c.

Annus, qvo in alb. academic. ſunt relati:

Pratenſis, qvo vix doctior alter erat,
Qvicqvid habent etenim veterum monumenta Sophorum,
Divini qvicqvid Scripta Platonis habent,
Et, Paracelſe, tuas expertus calluit artes,
Doctorum licet hic vulgus inane ſtupet. [55])

1590 Holgerus (Oligerus) Roſenkrantz vulgo docti nomine inſignitus, jam per qvadriennium, qvo ſcholæ nomen dedit, ingenii, qvod a naturâ præclariſſimum habuit, lætiſſima dedit ſpecimina, laudemqve profectus minime vulgaris in hebræis præcipue theologicisqve ſibi paravit. Qvod patriæ litterisqve in posterum præſtiterit, hic verbis æqvare frustra conarer. Sufficiat ex plurimis unicum commemorare beneficium, lætâ alumnorum noſtrorum memoriâ recultum recolendumqumqve deinceps, donationem nimirum 1000 imperialium ad pauperes ſcholæ Arhuſienſis diſcipulos ſublevandos benignisſime datam [56]).

1590 Georgius Scheel ex nobili Scheliorum (Strabonum) genere, qvi, ſi verum

---

[55]) Confer reliqva lectu ſane dignisſima in promtuario Danico Tom. 2, pag. 199.

[56]) Plura de eo vide in Wormii lex. Tom. 2, pag. 286. Danſke Mag. Tom. 2 &c.

Annus, qvo in alb. academic. sunt relatl:

est, qvod asserit Tycho de Hoffmann [57]) eum natum esse a. 1578, duodecim annos natus, qvi fuit, cum Arhusiam patriam-qve relinqveret et Argentoratum peteret, vix cursum scholasticum heic absolvisse putandus est. Cum rerum civilium scientiam sibi paraturus octo per annos apud exteros vixisset, in patriam redux intimo consilio Regis fuit adscitus, dignitateqve ornatus, qvæ dicebatur: Rigens Marsk.

1601 Olaus Wormius, eximium antiqvissimæ et nobilissimæ Wormiorum familiæ decus scholam Arhusiensem per sexennium freqventavit, ex qvâ dimissus et plus qvam XII annos peregre commoratus,

qvi mores hominum multorum vidit et urbes non fumum ex fulgore sed ex fumo dare lucem,

cogitavit, et ex immenso eruditionis penu inprimis patriarum antiqvitatum studium litterasqve medicas in qvibus totus habitaret, sibi selegisse videtur. Profesionem qvadruplicem Hafniensem ornavit Regi populoqve æqve carus. Mortuus est fere septuagenarius senex, et si patria, meri-

---

57) Historiske Efterretninger om danske Adelsmænd Tom. 1 pag. 42.

Annus, qvo in alb.academic. sunt relati:

torum immemor, ejus nomen uspiam esset obliteratura, egregia tamen, qvæ evulgavit scripta illud ab oblivione tutum rederent [58]).

1607 Nicolaus Fosius, Hygeæ sacris mature initiatus munereqve Archiatri Christiani qvarti ornatus, secundas post Wormium partes in aulâ Regiâ gesit, Regiqve ita fuit amatus, ut Canonicatu in Capitulo Lundensi ab ipso donaretur. Mortuus est 1645.

1626 Jacobus Mathiæ natus Arhusiæ 1602, patre Mathiâ Jacobæo, medicinæ doctore et Christiani IV Archiatro: Filius per octennium diatriben nostram adiit ideoqve noster vocari meretur, licet brevi ante adeptam civitatem academicam Othiniam mitteretur a patre, qvi Hafniæ aulicis negotiis districtus, domestica curare neqvivit. Dimissus igitur est Othiniâ. Teste Paulsonio [59]), infans illius erat ingenii, ut qvatuor annos natus, patrios intra lares adhuc retentus, 700 vocabula latina edidice

---

[58]) De illo vide Wormii lexicon Tom. 2 p. 630 et Vindingii acad. Hafn. pag. 254-65.

[59]) Bibliotheca Arhusiensis pag. 70.

rit. Rude donatus biennium vixit in ædibus Caspari Brochmanni, donec numero juvenum adſciſcebatur, qvos Roſenholmiæ litteris inſtituendos curavit doctus Roſenkrantzius. Hic et apud exteros ſtudiis prælare profligatis, Hafniæqve, post reditum in patriam Eloqventiæ Profeſſoris nec diu post Concionatoris aulici Regis Chriſtiani IV munere ornatus, teſte Vindingio [60]) "illâ lingvæ latinæ notitiâ excelluit, ut cum eo ageret Rex de ſuſcipiendo munere in Cancellariâ Regiâ, cupiens virum in dictione latinâ promtum apud ſe perpetuo habere, cujus opem apud exteros uti poſſet". Qvod negotium tamen modeſte recuſavit poſteaqve ad Epiſcopatum Arhuſienſem est vocatus, qvo munere 15 annos cum laude est functus [61]).

---

[60]) Acad. Havnienſis.

[61]) Diarium hujus Epiſcopi ex manuſcripto impreſſum legitur in promtuario Danico Tom. 1 pag. 218-224, in qvo inter alia memorantur nuptiæ Epiſcopi filiæ collocatæ Mag. Vindingio (auctori Ac. Havn. libri a nobis ſæpius citati), qvæ deſcriptio luxui nuptiali iſtorum temporum haud exiguam lucem affundit. Hujusmodi est: "1653 in Aprili gjorde D. Jacob Matthiſen ſin Dotter Ingeborgs Bryllop med M. Rasmus Povelſön- Til dette Bryllop

Annus, qvo in alb. academic. ſunt relati:

1631 Laurentius Bording natus Arhuſiæ 1610 et, post varia eruditionis ſpecimina etiam apud exteros exhibita, A. 1652 in Academia Sorana Profeſſor hiſtoriarum conſtitutus.

1656 Mathias Jacobæus filius Jacobi Mathiæ, Epiſcopi Arhuſienſis ſupra memorati. Hic 1664-1688 in Academia Hafnienſi erat primum Profeſſor hiſtoriarum deinceps lingvæ Græcæ et tandem Medicinæ.

1662 Olaus Römer natus Arhuſiæ 1644 ex patre Chriſtiano Römer hujus urbis cive et negotiatore. Qvod de Pratenſi laudat Brahæus, "eum ipſa ſidera ſuo ingenio ſubdidiſſe"; id ad hunc virum commode transferri potest, nam eam ſibi patriæqve in

---

blev fremſendt efterfölgende: 4 Hjorte, 16 Raadyr, 42 Harer, en ung Qvie, 22 Kalve, 62 Lam, 14 Griſe, 1 Vildgaas, 2 Urhöns, 92 Kalkunſke Höns og Haner, 24 Gæs, 37 Höns, 64 Duer, 8 Iax, 64 Braſen, 105 Gjedder, 30 Karper, 2380 Karuſſer, 60 Aborrer, 4950 Æg, henved 2 Tönder ferſk Smör, 3½ Tönde fiint Meel, 2 Tönder Samſing Öl &c." (vid. Danſke Mag. Tom. 1, Pag. 224.)

Aſtronomicis gloriam paravit, ut nemini, niſi ipſi Tychoni facile cederet. Pariſiis decennium degit (1671-1681) ibiqve præfuit ſtudiis mathematicis ſerenisſimi Regni Gallici hæredis, interea illuſtribus Aſtronomorum duumviris Picardo et Caſſino, in Uraniâ motuum ſideralium ſpeculâ aſſociatus, ob utrumqve munus a Chriſtianisſimo Galliæ Monarchâ ſplendidisſimis ſtipendiis ornatus. In patriam revocatus, varia eaqve gravisſima munera gloriosisſime adminiſtravit, nunqvam tamen immemor inſtitutionis, qvam puer Arhuſiæ receperat, cujus monumentum reliqvit noſtris uſibus adhuc dum inſerviens, qvatuor nimirum fornaces ferreas, Norvegiæ cuſas datorisqve nomine inſignitas, qvæ ex jusſu ipſius in cubiculis hypodidaſcalorum exſtruebantur.

§ 9.

Leges et ſtatuta ſcholæ Arhuſinæ ab eminentisſimo et amplisſimo Epiſcopo Dno. Johanne Ockſenio traditæ et in ſcholâ a clarisſimo et doctisſimo Rectore Dno. Johanne Schmidt publice reeitatæ die 4 Julii Ao. 1733. [62])

1. Ipſo horæ momento Rector ſuis, Conrector ſuis horis una cum Collegis omnibus ac ſingulis in Schola adſit, precibusqve ſolito more et lingvâ

habitis, partium ſuarum ſollerter ſatagat Docentium unusqvisqve, finitis demum horis ab Epiſcopo conſtitutis precibusqve rite peractis, modeste egrediantur Diſcipuli qvidem ſupremæ claſſis in Gymnaſium Theologicum, qvod vulgo Lectorium vocatur, reliqvi autem Diſcipuli inferiorum claſſium, præſente Hebdomadario, ad exemplar nitide poſitum, æstivo tempore, per integram horam, hyemali vero tempore, per unum ſaltem horæ undecimæ qvadrantem picturam exerceant, qvam Hebdomadarius emendet, Cantore interea temporis ad tabulam Muſicalem alumnos muſicæ addictos ſolerter exercente.

2. Rector et Conrector operas ita inter ſe partientur, ut, altero in ſuprema docente, alteri reliqvarum claſſium cura incumbat, ut Diſcipuli rite informentur, adqve modestiam gnaviter incitentur.

3. Qvater ad minimum, qvovis anno, teneatur Rector, vel ejus vice, Conrector inqvirere in Diſcipulorum profectum.

4. Omnes ac ſinguli Collegæ inferiorum claſſium precibus in Schola habendis interſint,

---

62) Cum hocce MStum. plura illuſtret, qvæ in ſupra allatis vel reticenda vel leviter perſtringenda ſvaſere conſilii temporisqve augustiæ (per paucos hos menſes æſtivos exiguis ſane publici laboris intervallis dispunctos plusqvam centeni libri mihi erant percurrendi) haud injucundum lectori fore ratus ſum, tenuem parcamqve meſem ſpicilegio hocce qvodammodo reſartam deprehendere.

qvi autem ultra qvadrantem horæ statæ abfuerit haud legitimè excuſatus, ſolvat 2 ſolidos: ſi qvis abfuerit, non indicata Rectori abſentiæ cauſâ legitima veniâqve haud impetratâ, ob neglectum prima horâ officium ſolvat 6 ſolidos, ſecunda hora 12; tertia vice 24, qvarta dimidium Imperialem, qvinta Imperialem; ſin officium neglectum fuerit Sexta hora, in totum ſupendatur et ad judicium Epiſcopi remittatur.

5. Qvi inter præcinendum funeri abfuerit, ubi partes officii ipſum eo vocarint, præmio ſibi pro illa opera facienda debito excidat.

6. Lectiones prælegant omnino ex præſcripto, qvod ſingularum Claſſium tabulæ indicent, et, omni adhibita opera conentur, ut diſcipuli præſcriptas in tabella metas qvam maturrime adipiſcantur.

7. Collegæ ſcholam ſub initium horæ ingreſſi, ante horas finitas, niſi legitima de cauſſa, ſub mulcta 2 ſolidorum ne exeant.

8. Qvovis die Veneris ut et Dominico comparebunt unanimiter omnes in Schola ante datum tertium æris campani ſignum, ſub mulcta 2 ſolidorum; ut Diſcipuli bini, alterno ordine, Templum modeste ingrediantur.

De Hebdomadario ſeorſum.

Collega aliqvis, more recepto, habita ordinis ſui ratione, ſingulis hebdomadibus, ſeqventibus officiis, tum in Templo, tum in Schola, expediundis præficiatur, qvi Hebdomadarius dicatur, cujus officia hæc ſint. (7)

1. Choro tam antemeridiano, qvam pomeridiano, ipſo ſtati temporis puncto, interſit, ut illa ſacra à principio ad finem rite peragantur, ne Schola, hoc nomine, toti urbi ceu incurioſa ſacrorum fabula ſiet: qvi ſerius advenerit, mulctabitur 8 ſolidis; qvi in totum abfuerit, marca ſimplici; qvi detrectaverit expendiſe multam, judicio Epiſcopi liberalius mulctabitur.
2. Sacris reliqvis qvotidianis profestorum et Festorum dierum continuè interſit, cumqve diſcipulis, dum concio habetur, in loco destinato una compareat, ut ipſorum petulantiam temperet atqve omnia modeste gerantur ſub mulcta 8 ſolidorum.
3. Præsto adſit in Schola qvovis die horâ dimidiata prima præciſe, etiam diebus Mercurii et Saturni, ut Cantori aſſiſtat et delinqventium vitia emendet ac castiget, ſub mulcta 2 ſolid. ſi plane abfuerit, mulctabitur 4 ſolidis.
4. Diſcipulos ſupremæ clasſis, ſi ſtrepant, modeste admoneat, ſi petulantius ſe gerant, acriter, ſin tum admoniti pergant, Rectori, vel, ipſo abſente, Conrectori talia indicet, nec in illorum ſceleribus conniveat, nec ipſos ipſe verberet; de ipſis etenim delinqventibus legitimum Rector ipſe, vel, ejus vice Conrector, ſumat ſupplicium.
5. Hebdomadarius diligenter picturæ habeat curam, eamqve prædicta horâ coram diſcipulis emendet.
6. Hebdomadarius publici panis diſtributioni adſit præſens, ſtata diei Saturni horâ pomeridia-

na, nempe post ſacra in Templo utroqve peracta; interea curæ ipſi ſerio ſit, ut diligentium qvisqve ſuum accipiat deputatum, qvicqvid autem negligentibus jure juſto fuerit ademtum, inter exſpectantes diſtribuatur.

De Cantore ſeorſum.

Cantor adſit præciſe horâ dimidiata prima pomeridiana, ut exerceat incipientes in Muſicis usqve ad horam dimidiatam ſecundam æstivi temporis, cæteroqvin ad horam primam, plus minus, et proficientes, reliqvum temporis, pro arbitrio Rectoris vel Conrectoris, in Muſica figurali ſolide inſtituat.

2. Operam det, ut aliis ad Academiam abeuntibus, aliis vocem, cui præfuerunt, mutantibus, alii præsto ſint ex incipientibus, qvi in locum diſcedentium poſſunt ſurrogari.

3. Teneatur ſemper Sacris in Templo Cathedrali intereſſe una cum Diſcipulis. Qvod ſi aliqvando contigerit, ut Cantor 4tæ claſſis futurus eſſet Collega, utpote Præcentor ſit Eccleſiæ Divæ Virginis, judicio Epiſcopi relinqvatur.

4. Compareat Cantor qvovis die Mercurii et Saturni ab hora dimidiata prima ad dimidiatam ſecundam informaturus et examinaturus incipientes, qvod didicerint, inqve libros elementorum muſicorum, qvæ in tabula deſcripta fuerunt, inqviſiturus, num ſc: rite omnia ſint exſcripta, et delinqventes castigaturus, exceptis ſaltem ſuprema claſſis alumnis, qvorum delicta Rectori, vel

Conrectori ſemper indicanda, ut justas delictorum poenas luant delinqventes.

5. Qvovis die Dominico et Festo canentem acutisſime, qvi vulgo vocatur Diſcantista, ſubornabit verſiculum hymni emodulaturum, anteqvam conſcendit ſuggestum Concionator.

6. Diebus Festis, cum reqviritur muſica, compareat in Organo pnevmatico et Muſicæ ſtudioſe præſit ejusqve ſolerter adeo ſatagat, ut ne Scholæ aliqva infamiæ nota inuratur.

7. Qvod ſi non legitime excuſatus, dictis hiſce temporibus, non adfuerit in Schola ad faciendum officium, qvavis vice mulctabitur 4tuor. ſolidis, ſi in Organo ſtatis temporibus, neglexerit officium, mulctabitur marcâ ſimplici.

Omnis autem hæc mulcta ex reditu pecuniarum funeralium vel alius ſtipendii Collegis debito reſervatur à Rectore inter pauperes diſcipulos diſtribuenda.

De Diſcipulis.

1. Diſcipuli omnes omnium Clasſium choro matutino in primis interſint, calidas ad Deum fuſuri preces pro diei felici ſtudiorum ſucceſſu.

2. Qvavis hebdomade constituetur unus eorum, qvi muſicam callet, ac ſonora voce bonisqve lateribus lectionem Biblicam recitare potest, qvi omnibus cantionibus et lectionibus matutinis et pomeridianis præſit, igitur Præſes Chori dicendus, cui adjunguntur duo Paraſtatæ, qvi cum Præſide una adſint ipſo horæ puncto, qvo ſacra ſunt peragenda; qvibus aliqvid præmii præ cæte-

ris, in distributione beneficiorum est tribuendum; si autem officium neglexerint, qvisqve eorum, ceu qvi Scholam in conventu totius urbis turpiter prostituerit, v. mulctâ 2 solidor. v. verberibus multabitur qvam rigidissime.

3. Ille Præses v. alius qvidam alumnorum Classis supremæ, ut Phonascus a Collega 4tæ Classis conductus, una cum Collegis 4tæ et 2dæ Classis eorumqve discipulis omnibus sacris, qvovis die Veneris, Dominico vel Festo, in Templo Div. Virginis peragendis, nisi ubi Musica exerceatur, interfit, oportet, sub directione Præcentoris, qvi absentiam ipsius vel petulantiam, si qva fuerit commissa, Rectori vel Conrectori maturius indicabit, sub mulcta 6 solid. eum in finem, ne tota Schola, eo nomine, male audiat, nec de protervia discipulorum Cives conqverantur.

4. Ratione pietatis.

Dato æris campani signo secundo in Schola comparebunt, ut, cum datur tertium signum, bini qvidem ordine, ut ante dictum est, verecunde et modeste Templum ingrediantur, locumqve sibi assignatum unusqvisqve occupet, ad prolationem sanctissimi nominis Jesu genua flectant, ad habitam concionem reverenter pieqve attendant, et finitis sacris, ordine prædicto, in Scholam ex Templo redeant, rationem exordii et potiorum partium concionis reddituri.

5. Ratione doctrinæ et morum.

Scholam justo et ordinato tempore ingrediantur, bene loti, pexi, vestibusqve et calceis mundis, et in suprema classe præterea togati, atqve

omni obſervantia, civilitate ac ſilentio Præceptores docturos præſtolabuntur.

6. Si qvis vel ad horam conſtitutam non adfuerit, vel plane abfuerit, reus culpæ et, per conſeqvens, poenæ habebitur.

7. Nemini autem abeſſe licebit, ob qvascunqve tandem occupationes, niſi prius ſibi veniam à Præceptore licite impetraverit vel per ſe, vel, in caſu neceſſitatis, per alium, niſi graves ob hoc ipſum velit dare poenas.

8. Suis qviqve libris, chartis, pennis et atramentariis rite ſint instructi, nec alienis utantur.

9. Non Rectori tantum et Conrectori, ſed ex æqvo omnibus Præceptoribus claſſium in univerſum omnes obtemperent ſana ac ſalutaria ſvadentibus, ita ut diſcipuli ſupremæ claſſis honore exhibendo Præceptores dictos antevertant ſub gravi poena. Diſcipuli inferiorum claſſium, in instanti, acrioribus verbis et verberibus ob petulantiam, coërceantur ab Hebdomadario vel Collegarum alio, qvi adfuerit. Si, abſente Rectore vel Conrectore, petulantius ſe geſſerint diſcipuli ſupremæ claſſis; post unam alteramve ſeriam Hebdomadarii vel alius Collegæ admonitionem, qvam cum benevolentia alioqvin admittant, exuto thorace poenas graviſſimas humeris luant vel alio, pro gravitate delicti, ſupplicio magis pudendo afficiantur.

10. Lectiones recitaturi pronunciatione utantur alta, diſtincta, ſpiritu pleno, ſono æqvabili et urbano; ſeponant, inter recitandum, librum;

abſit inſuſurratio vel inſpectio libri v. ſuî, v. alterius.

11. Duarum ſuperiorum claſſium Diſcipuli (niſi interpellet neceſſaria vel Auctoris explicatio, vel ſenſus alicujus in præceptis enodandis obſcuritas) ſemper latine et inter ſe, et cum Præceptoribus loqvantur.

12. Schola excedant modeste, nec in plateis, coemeteriis, vel clivo ſcholari, luſitando, moram ullam trahant, ſed ſine clamore, ſine tumultu, ſine alicujus offenſione confeſtim omnes domum ſe recipiant, in Scholis tradita ſecum repetituri ſtilosqve dictatos elaboraturi.

13. Extra Scholam in plateis et cætibus hominum verecunde, et, ut decet ſcholasticos, verſentur, nemini, ne inimico qvidem obtrectent, nec qvenqvam contumelia afficiant; rixas, convitia, pugnas omnemqve inſolentiam qvovis loco et tempore, publice privatimqve vitent, malorum familiaritates et ſodalitia ſancte detestentur, in primis eorum, qvi ob ſcandala malitioſe e Schola discesſerunt.

14. Singulis honore dignis hominibus, capite modeste detecto, debitum exhibeant honorem, illisqve obviam factis de via decedant, prætereuntibus aſſurgant; vestiantur honeste et munde, ut ante dictum, et temperanter vivant, vitatis cauponis, aliisqve tabernis.

PERIODUS TERTIA sive WORMIANA

1739 - 1775.

§ 1.

Qvemadmodum viator vastam desertamqve solitudinem emensus, cum ad terram foecundam pervenerit, molestiarum, qvas perpessus est, interdum ita oblivisscitur, ut ad sedes beatorum translatum sese opinetur; [1]) sic attentus rerum nostrarum spectator, desolatam scholæ faciem, nuper sollicito cum tædio, mox cum desiderio curaqve non levi contemplatus, non mediocriter lætatur, cum in virum inciderit qvi labanti rotisqve veluti stridentibus cunctantius sese volventi machinæ, fortem admoverit manum, et, tanqvam ἡνιοχος επισήμων, insigni cum successu cursum illius rexerit, et hicce vir fuit:

---

[1]) Cfr. ea, qvæ de Oasibus veterum docte, pro more suo, disputavit B. Thorlacius in opusculorum academ. Vol. I.

Janus Wormius, Philoſophiæ Profeſſor Havnienſis, Regi à Conſiliis Juſtitiæ et viceſimus ſeptimus hujus ſcholæ Rector.

Natus est Wormius noſter Arhuſiæ 1716 die 24 Augusti, patre Olao Wormio, Conſiſtorii Arhuſienſis Aſſeſſore ultimoqve Theologiæ lectore. Cum tempus, qvo litterarum rudimenta, primis, ut dicunt, labris puero eſſent deguſtanda, incideret in ætatem, qvâ Rector Georgius Rhodius, qvadragenarii muneris moleſtiis defeſſus viribusqve corporis et animi debilitatus, remiſſiori manu gubernaculum tenuit ſcholasticum; non est mirandum, patrem Wormii noſtri, de filii ſalute unice ſollicitum, e re ſua duxiſſe, puerum intra privatos lares retentum, umbratili inſtitutione formandum curare. Variis igitur variorum doctorum diſciplinâ domeſticâ exercitatus, teſtimonio Præpoſiti Arhuſienſis Frederici Nanneſtadii, Theologiæ Doctoris et Profeſſoris, poſteaqve Epiſcopi Chriſtianienſis, A. 1733 in Academiam Hafnienſem est miſſus, ubi, finito laudabiliter examine philoſophico et theologico (1736), mox novam nactus eſt, qvâ ingenium ſuum exerceret, palæſtram, cum eodem anno Communitatis Regiæ Decanus conſtitueretur. Hæc enim exercitia eo tempore nondum in luſoriam pugnam abierant.

Interea tantum abfuit, ut, curriculo academico finito, ſe metam attigisſe putaret, (qvod moris est pluribus ſe domum ex auditoriis academicis qvam celerrime proripientibus) ut otium potius honeſte acqviſitum tanqvam opulentisſimam prædæ partem æſtimaret, eoqve ita utendum esſe ſibi perſvaderet, ut ſcientiarnm non decrementa ſed incrementa qvam lætisſima inde esſet capturus. Dum igitur lectionibus plurium Profesſorum per qvadriennium ſedulo interesſe perrexit, nec ad pleniores doctrinarum expalluit hauſtus, qvos ex immenſo dapium Platonicarum apparatu, ipſi exhauriendos propinavit Grammius; mature inter hæcce convivia eum Clius amorem concepisſe videtur, ut illius per totam reliqvam vitam oblivisci neqviret.

His rebus intentus abditusqve in bibliotheca Grammii (qvem faustisſimo omine præceptorem privatum ſibi ſelegerat) nunqvam a reliqvis litterarum diſciplinis animum avocavit, ſed ſæpius in ſuperiori (qvod dicebatur) auditorio disputavit, tam Defendentis qvam Opponentis vices ſuſtinens, et cum A. 1739 de bibliorum nova verſione danica edenda esſet conſtitutum, provincia illi demandata est, Geneſin et Exodon cum textu hebraico et verſione Germanica Berlenburgica conferendi.

Ita ſeptennio inter academicas acroaſes fruc-

tuosissime transacto, A. 1740 muneri Conrectoris Arhusiensis est præfectus, cumqve Rector senescens Johannes Schmidtius jam dudum humeros oneri scholastico subtrahere cogitaret, parum abest, qvin hujus qvoqve partes statim subiisse sit existimandus, licet Superiorum auctoritate ad hoc munus sustinendum demum A. 1745 vocabatur.

Et ab hocce fautissimi ominis anno læta orditur scholæ nostræ epocha septem integra lustra percurrens, de qvâ ut justum ferre possis judicium, brevi mecum attendas, tum ad industriam prudentiamqve, qvâ institutionis operi præfuerit Wormius noster, tum ad fidem constantiamqve, qvâ, exempli instar, commodis scholæ suæ invigilaverit.

Si in docendi munere ordinis hæc dos est, ut plus valeat ingenio mero; uberrimos sane fructus latura esset institutio Wormii, nam utramqve virtutem conjunxit, summam *ακριβειαν* in qvâvis officii parte explendâ cum ingenii acumine ex immensâ eruditionis copiâ novas identidem vires repetente. Æqvabili igitur dum prospexit institutionis progressui (qvem succum sangvinemqve corporis scholastici merito judicabat) prudenter simul cavebat, ne tardioris ingenii juvenes, stipendiis scholasticis allecti, nimium freqventer se

ſcholæ obtruderent, apium morem ſeqvutus, qvæ teſte poeta [2]):

Ignavum, fucos, pecus a præſepibus arcent.

Qvamobrem etiam, A. 1756, rigidiore ingeniorum puerilium cenſurâ juſſu Regio injunctâ, [3]) plures diſcipuli, ejus conſilio et auctoritate, ſcholæ valedicere ſunt coacti, ita ut numerus eorum, qvod ex albo ſcholastico conſtat, A. 1757 ad

---

[2]) Virg. Georg. lib. IV v. 138.

[3]) Cum in hoc libello obiter tantum fiat mentio Regiorum de re ſcholaſtica edictorum, utpote qvæ ad omnes patriæ ſcholas æqve pertinent, hæc ipſe adeat lector, qvi normam, ad qvæ relata exigere posſit, habere cupiat. Sunt vero:

Edictum Chriſtiani ſecundi impreſſum qvidem, ſed nuspiam vi legis munitum (vid. Danske Magazin Tom 6 p. 359).

Ordinatio eccleſiaſtica Regnorum Daniæ. Haffniæ 1537 fol. XXXII-XXXVIII.

Tabula de exercitiis ſcholaſticis adjuncta formulæ viſitationis Petri Palladii. Hafn. 1555.

C. IV. Anordning om Skolernes ny Reformation 1604.

C. IV. Skole-Inſtrux 1632.

C. IV. Receſs 1643.

C. V. danske Lov.

C. VI. Skoleforordning af 17 April 1739.

F. V. dito af 23 Juli 1756.

C. VII. Dito af 11 Maj 1775.

F. VI. Dito af 7 November 1809.

triginta novem ſit reſtrictus. Wormius cujusvis juvenilis levitatis ſeverum ſe præbuit correctorem, ſed licet eâ fuit gravitate, ut monita ejus ipſo adſpectu captarent diſcipuli oculisqve veluti raperent, ab omni tamen puniendi acerbitate fuit alienisſimus. Diſcipuli eum diligebant ut patrem, vereqve paternam gesſit eorum curam; qvos enim humanitate et docilitate qvam ære numisqve reperit ditiores, eos, dum hic morabantur, lautioris fortunæ civibns alendos ſuſtentandosqve liberaliter commendavit, et qvando ſcholâ iis esſet diſcedendum, nil prius antiqviusqve habuit, qvam ut εφοδίῳ necesſario litterisqve commendatitiis inſtructi, de ſorte futura redderentur ſecuriores.

Qvemadmodum Wormius noſter diſcipulis ſuis ſemper et ubiqve benignisſime adfuit, ita qvoqve rei numariæ bonorumqve ſcholæ dispenſator, qvam qvi maxime, fuit fidus et religioſus. Jura enim ſcholæ qvadruplici vice ad ſummum Themidis tribunal cum ſucceſſu est perſecutus, ejusqve ſollertiæ (ut plura taceam) debentur duo prædia ſcholæ reddita, reſtitutio ſummæ pecuniarum non exigui momenti, qvâ per integros qvinqvaginta annos defraudata fuerat ſchola, demumqve tertiæ Clasſis Collegæ jus legibus recuperatum decimas ipſi concesſas pro arbitrio lo-

candi 4). Ad hoc, Conrectorem decemqve Collegas muneribus ſuis ſollenniter inauguravit, binas funebres, in Regum defunctorum memoriam, totidemqve jubilæas orationes habuit, diſcipulosqve centum et qvinqvaginta novem nnmero civium academicorum adſcribendos curavit.

Nec hisce negotiis diſtrictus, qvantum munerum gravitas permitteret, litteris deeſſe voluit, ſed præter minoris ambitus opuſcula (inter qvæ antiqvisſimæ memoriæ hiſtoriam ſcholaſticam ſæpius laudavimus), in ipſo adventantis ſenectutis adſpectu (ſexagenarius pæne fuit) improbum fere laborem non reformidavit, qvi cum Lexico litterario exarando fuit conjunctus, Qvod qvidem opus, cum cujusvis rei litterariæ non plane incurioſi manibus teratur, heic pluribus laudare ſuperſedeo.

Interea meritorum ipſius nec Academia Hafnienſis nec Reges auguſtisſimi Fridericus qvintus et Chriſtianus ſeptimus erant immemores, nam A. 1740 ſnmmâ in philoſophia laureâ et A. 1754 titulo Profeſſoris Philoſophiæ Academiæ Hafnienſis est ornatus, et deniqve A. 1777 Regi a Conſiliis Juſtitiæ est renuntiatus.

---

4) Cfr. Hertelii deſcript. templi Cath. Arh. Tom. 2, faſc. 3 pag. 482.

Sub finem vitæ, cum vires, muneris ſcholaſtici 35 annorum moleſtiis debilitatæ, deficere cæpisſent, honeſtum otium ſibi expetivit et mortuus est annos 74 natus die 31 Decembris 1791.

Si tandem cum Borupio Wormium componere lubeat, habebis ſane, qvas in utroqve admireris virtutes. Ille enim e re tenui emicuit ſibiqve ipſi patefecit viam, hic curâ paternâ intra privatos parietes est educatus; ille ſtatura erat parva fereqve puſillâ, hic tantâ, ut per ſcholam gradiens, atro indutus pallio cæſarieqve prominente ornatus, ſpectantium oculos ſuâ dignitate fere perſtringeret. Borupius amore, Wormius reverentiâ auctoritatem ſuam fundavit; ille ſe puerum geſſit inter pueros, hic pueros viros fecit, ut qvi cum viro conſveſcerent, digni eſſent; ille multos ſibi optavit diſcipulos, hic paucos tantummodo ſed bonos; in illo laudatur ſvavitas comitasqve, in hoc gravitas orisqve decor; Borupius ſæculo obſcuro facem præferebat, Wormius in ævo litterarum luce colluſtrato famæ ſuæ proſpexit. Laudatur deniqve in utroqve ingenium vividum capax et foecundum, rerum divinarum humanarumqve ſcientia minime vulgaris, indefeſſa induſtria, juſtitia, conſtantia, humanitas et liberalitas, ut, qvod ad hunc attinet, qvam Olaus Wormius Rector

ſchoſæ Hottersneſienſis meritisſimus, nominis virtutisqve Wormianæ hæres, urnæ avunculi defuncti ferali pie nexerit coronam, tanqvam utriusqve ingenii monumentum, non posſimus non hisce pagellis adjungere:

Hospes! qvod dico paullum est,
adsta et perlege.
Dedit hic amica tellus hospitium
Ossibus
Jani Wormii
Qvem optimum fuisse Virum fatebere,
Si das, hominis Bona esse:
Sapientiam, Justitiam, Constantiam, Gravitatem,
Qvibus virtutibus
Mirum qvantum Ille excelluit.
Sapientia
In vero videndo,
Ejusqve rationibus ad vitæ usum reperiundis,
Non Sibi magis, qvam Suis et aliis,
Salutariter utebatur.
Justitiam
In dictorum factorumqve fide et veritate,
qvas vita ipsa cariores habebat,
Sancte Servabat.
Constantiam,
Neqve spe neqve metu impellendam,
In maximis causis,

Æqvabiliter exercebat.
Gravitas
Tanta erat, ut ad eam factus esse videretur,
Et vel in nutu resideret Autoritas.
Qvibus
Eruditionis, Comitatis, Modestiæ, Facetiarum
Svavissima Commendatio accedebat.
Functus, per XXXVI annos,
Difficili et laborioso
Scholæ Arhusiensis magisterio,
Extremos langvescentis ætatis annos
Dabat otio honestissimo et utilissimo,
Dum Sapientiæ studiis vacans,
Suum otium ad aliorum Negotia
conferebat.
Erat Ille Wormianæ Gentis,
qvæ per duo jam secula
In Dania nostra floruit,
Ex stirpe mascula ultimus.
Titulum vivus ipse posuerat Sibi,
Loculo, post fata, inscribendum,
Ornaveratqve hunc Disticho
(qvod infra posuimus)
Ex B. Atavi Sepulcrali Monumento
Desumto;
Testatus, Sibi, qvoad viveret,

Nihil prius in votis fuisse,
Qvam ut laudem hanc
verisſimam et modestissimam
Moriens mereri posset:
Wormius hic situs est, sat dixi, cætera narret
Fama; Bonum novit Cimbria tota virum.

*** *** ***

Natus erat Anno MDCCXVI d. XXIV Augusti,
vixit annos LXXIV, Menſ. VI, dies VII,
Prolem decedens nullam reliqvit,
Sed nominis, utinam et virtutum
Hæredem
qvi
Wormio Bono
Naturæ necessitudine avunculo,
Sed animi propensione plusqvam Patri,
Hæc cum lacrymis posuit.
O. Wormius.

§ 2.

De novo ædificio ſcholastico.

Solidum duransqve monumentum non minus curæ, qvâ Wormius res ſcholæ ſuæ amplexus est, qvam munificentiæ ac pietatis Cimbrorum ſalutem publicam a ſuâ nunqvam alienam putantium, ſunt ædes noſtræ ſcholasticæ, qvarum θεμελιος λιθος a Viro generoſisſimo, Dioe-

ceſeos Arhuſienſis præſide Johanne Levezowio poſitus est die 18 Martii 1763 et Ἐγκαίνια triennio post oratione inaugurali d. 13 Martii 1766 a Jano Wormio ſunt celebrata.

Duo fere ſecula cum dimidio erant elapſa, ex qvô vetus ædificium ſcholasticum (cfr. per. 1 § 3) monachorum diſcesſione deſolatum, litteris inſervire cæperat; ét in dubio ſane est, utrumlibet maxime ſit miraudum, ſive qvod tantus tironum numerus in coenobio lucifugis monachis qvam hilaribus lepidisqve adoloſcentulis aptiori [5]) tamdiu contineri, ſive qvod ipſum monasterium per tantum temporis ſpatium ætati reſiſtere poturit.

Qvemadmodum vero alterius causſa qværenda est in contemtu, qvo litteræ litterarumqve officinæ, ſeculo decimo ſexto exeunte ſeptimoqve ineunte, ab illius ætatis hominibus ſpectabantur, ita alterius i. e. conſilii de aptiori ædificio ſubſtituendo tamdiu delati causſa in eo erat, qvod templum noſtrum cathedrale, qvod ſumtus ſuggereret, nihil posſet expedire [6]), nec, unde tanta

---

5) Præter latebrarum obſcuritatem, qvibus occulebantur pueri, (ut cum Tacito loqvar Hist. 3, 11) vix aerem nedum ſolem admittentium, lateritia erant ſedilia cæmento vincta.

conficeretur ſumma, ſciretur. Huc accedebat, qvod viri, qvos acerrimos nactus fuerat Wormius ſcholæ patronos, præſides Arhuſienſes Lewezow et Schouboe et Epiſcopus Hygom inter ipſos ædificii apparatus morerentur (1758-1763), unde ſtatuere licet, vix ac ne vix qvidem, tantas difficultates fuiſſe ſuperatas, niſi ea fuiſſet Wor-

---

*) Juxta præſcriptum legis Chriſtiani qvinti lib. 2, cap. 22 art. 71 collatum cum edicti Regii d. 7 Novbr. 1809 § 125, officium ædes ſcholaſticas ſartas tectasqve ſervandi templis incumbit, qvod adhucdum, cum templum Clementinum rei pecuniariæ indigentiâ laborat, uſibus noſtris noxium foret, niſi Collegium Regium res noſtras ſapientiſſime gubernans ex arcâ ſcholaſticâ, qvæ deſiderabantur, benignisſime ſupplenda conſtituiſſet. Nec metuendum est, ne his ſumtibus deficiant nunc opes ſcholaſticæ. Cum enim reditus decimarum, qvæ doctoribus alendis olim inſerviebant, novâ rei ſcolasticæ formâ, in arcam publicam redigantur doctoresqve certo ſtipendio ſuſtententur; factum est, ut ſchola noſtra, ſi publicam ejus pecuniam ſpectes, ex pauperrimâ fere evaſerit ditisſima, qvod ex ſummâ impenſis annuis reſiduâ, qvæ ſive ad alias ſcholas ſive ad arcam communem Hafnienſem transmisſa est, apparebit, qvæ tribus ultimis annis efficit ex præſenti computandi ratione:

Ao. 1814: 12,500 Rigsbankdaler Navne-Værdie
Ao. 1815: 18,100 Rbd. N. V.
Ao. 1816: 19,250 Rbd. N. V.

mii conſtantia, qvæ nullis impedimentis deterreretur.

Dum igitur ad rei ſcholasticæ Ephoros de operis necesſitate referre perrexit, auctor ſimul ſvaſorqve conſilii fuit publicam liberalitatem compellandi, collectisqve ad ædificium ſcholaſticum donis, templi ſcholæqve indigentiæ pariter ſuccurrendi.

Nec voto defuit ſucceſſus, de qvo ipſum Wormium audiamus [7]) "Instabat ſynodus autumnalis 1756, ubi in freqventisſimo venerandi Cleri conventu ad præpoſitos relatum est, fore e re ſcholæ, ſi ſinguli eorum unacum reverendis Pastoribus, collatis ſymbolis, aliqvali ſubſidio pro cujusvis lubitu, publicum hoc opus adjuvarent. Ipſe relator, illuſtriſſimus Mæcenas noſter Levetzau, ut ſuo alios invitaret exemplo, centum imperiales e loculis depromtos in freqventisſimo conventu præſentavit ac ſcholæ uſibus largitus est. Illuſtri ejusmodi exemplo motus Epiſcopus eminentisſimus ſymbolam adjecit LX imperialium".

Nec defuit aliorum beneficentia, qvæ hic minime est reticenda. Præter enim ſummam 320

---

[7]) In Encæniis ſupra memoratis, qvæ benevole mihi commodavit Olaus Wormius Hottersneſienſis.

imperialium, qvæ ſcholæ cathedralis doctoribus et Clero dioeceſeos Arhuſienſis debebatur, nobiliſima Domina Anna Catharina Schucardt decedens 1000 imperiales teſtamento reliqvit noſtris uſibus impendendos, Pastor dioeceſeos Arhuſienſis Chr. Pontoppidanus dedit 100 imp. Pastor Eccl. Lyngaaenſis Petrus Gimlinge 200 imp. et Pastor arcis Schanderburgicæ Chr. Höeg 50 imp. ut plura dona, licet minora, non minus ideo animi generoſi indicia, brevitatis cauſſa hic reticeam.

Qvibus muneribus colophonem veluti impoſuit augustiſſimi Regis Friderici qvinti munificentia. Vix enim prius indicio excellentiſſimi herois Johannis Levezowii reſciverat novos lares parari Muſis noſtris, qvam ſummam 100 imperialium, qvam in pios uſus pro obtinendo privilegio ſolvere juſſus erat Pharmacopola civitatis noſtræ Schak Mathiæ Selmerus, huic operi clementiſſime deſtinavit.

Cum ad hanc ſummam accederent 2200 imperiales parcâ manu a Wormio ex annuis ſcholæ ſumtibus conqviſiti et in ærario ſcholastico repoſiti, nil reſtabat, qvod operi inchoando perficiendoqve obſtaret.

Surrexit igitur præclaro bonorum civium ſenſu indefeſſâqve Wormii curâ hoc novum Muſarum

ſacrarium ad eam, qvam hodie cernimus, amplitudinem et ſplendorem.

Est vero ædificium unius contignationis ex latere coctili firmisſime conſtructum, cubita 72 longum et 16 latum et in ipſo faſtigio pergulam habens. Domui contigua est area ludis puerilibus ſatis ampla, ordine tiliarum conſita et pulvere gymnico conſperſa. Hanc excipit hortus non fructibus inamoenus, patentisſimoqve per mare vicinum proſpectu gaudens. Præbebat domus interior præter bina auditoria ex veteri ſcholarum formâ inſtituta, ſpatioſa, alta, luci ſoliqve obvia, qvorum ſuperius ornatur duplici cathedrâ (non multum disſimili ab illo qvod nuper fuit in Academiæ Hafnienſis auditorio ſuperiori) præter hæc, inqvam, continebat ædificium diætas commodas et capaces qvatuor ſcholæ Collegis, ternas nimirum cuivis Collegæ.

In ipſo ædificii fronte plateam ſcholaſticam adſpiciente titulus legitur lapide inſculptus his verbis:

AEDES HAE

D. O. M.

ET MUSIS ARHUSIENSIBUS SACRAE

PRIDEM DEFORMES RUINIS, VETUSTATE

SUBLAPSAE

SUIS PARTIM SUMTIBUS, PARTIM LIBERALITATE PUBLICA
E RUDERIBUS ITA RESURREXERE
ANNO MDCCLXIII.
AUSPICIIS
D. OLAI BORRICHII DE SCHOUBOE
EQVITIS AURATI ET PRAEFECTI DIOECESEOS,
ET
D. PETRI HYGOM EPISCOPI.
CURA
D. CHRISTIANI MICHAELIS ROTTBOELL
PROFESSORIS THEOLOGIAE ET PRAEPOSITI,
D. MARTINI ANDREAE GERTSEN, CONSILIARII CAMERAE,
FRIDERICI CHRISTIANI GLEERUP,
ERASMI ERICI MÜLLER
CONSULUM;
MATHIAE FELLUM
ET
CANUTI SCHYTTE
SENATORUM ARHUSIENSIUM. s)

---

s) Etſi plus permittendo, qvam agendo, operi contulerant ſcholæ Curatores (qvod ex plu-

RECTORE
MAG. JANO WORMIO
PHILOSOPHIAE IN UNIVERSITATE HAUNIENSI PROFESSORE,
CONRECTORE
MAG. BALTHASARE HALSE.

§ 3.

De Conrectoribus reliqvisqve ſcholæ doctoribus.

16tus ſcholæ Conrector erat Mag. Janus Wormius, hoc munere functus 1740-1752. (vid. ſupr. § 1.)

17, Mag. Balthaſarus Halſe 1752-1769. Cum matrimonio et hæreditate lautiore re familiari gaudere cæpisſet, munere ſcholaſtico ſe ab-

---

ribus epiſtolis apparet eorum nomine a Wormio ſcriptis;) tamen hac publica mentione qvam ſibi expetiverant, eos non indignos fuisſe auctor est Wormius in oratione ſupra memoratâ, dicens: "Teſtor ipſe ego, teſtis, ſi qvis unqvam, hujus rei idoneus, teſtor, inqvam hic publice in promeritum laudis veſtræ præconium, nihil me unqvam ſcholæ nomine orasſe, qvod non ſtatim exoraverim, nihil optasſe, qvin pronos et faciles in vota mea vos invenerim et ſubinde ſupra ſpem et vota propenſos, id qvod grati animi ſignificatione publice profitendum exiſtimavi et profitibitur, dum ſaxa ſuperſunt, poſtibus ſuperpoſitns lapis index".

dicavit, brevi ante Regi a Conſiliis Cancellarii renuntiatus. Mortuus est in prædio hæreditario Qvistrup ſexaginta annos natus.

18. Mag. Thure Krarup 1769-1775. De qvo vide plura in ſerie Rectorum Periodi qvartæ § 3.

Collegæ ſcholæ Arhuſienſis, qvi in ſchedis noſtris memorantur, ſunt [9]).

Clementinus Blichfeld circa annum 1710.

---

[9]) Theologiæ Lectorum nomina, qvantum fieri posſet, brevitati conſulens, omittenda judicavi (cfr. per. 1 § 4), non item Collegarum. Hi enim moleſtisſimâ operis parte funguntur, fundamentisqve bene jactis, de juventute non raro egregie merentur, ut Virgilianum illud:

"Hos ego verſiculos feci, tulit alter honores"

in eos interdum haud incommode transferas.

Qvod etſi de noſtris nec univerſis nec ſingulis κατ' ἐξοχήν dictum velim, qvoniam de antiqvioribus plane ſiletur et recentiores ſubinde (inprimis ob negligentiam et puniendi ſeveritatem) atro calculo notantur; tamen, cum in his exarandis conſtantem mihi ſcripſerim legem: hominibus non rebus parcendum eſſe, nec nomina eorum, qvi, ſi de ſcholâ nil aliud meriti ſint, tamen hoc promeruere, qvod excubias ſcholasticas per longam plerumqve annorum ſeriem deſudaverint vel potius defriguerint, heic reticenda eſſe judicavi.

Johannes Rhodius 1716-1721, qvo anno ad ministerium templi Clementini est vocatus.

Janus Tykiær 1748-1760 muneri pastorali Pomagrienſi præfectus.

Ludovicus Pontoppidanus 1748-1755, postea pastor Thorſtrupienſis in dioeceſi Ripenſi.

Joachimus Bruun 1755-1758, qvi Pastoratum ad templum D. Virginis hac in civitate per plures annos cum laude gesſit.

Johannes Chriſtianus Hardung, Collega V Claſſis — ad mortem 1769.

Mag. Hermannus Kuhr, Coll. IV cl. — — ad 1765 cum ob rei familiaris, ut videtur, anguſtias clam ſe urbi ſcholæqve ſubduxit.

Henricus Ernſtius Grosmann Collega V cl. (cfr. per. IV. § 3.)

Chriſtianus Begtrup coll. III. cl. 1764-1768, cum ad pastoratum Aſtrupienſem dioeceſeos Arh. vocabatur.

Hic non reticendum est donum, qvod his duumviris debetur adhucdum oblectationi ſcholæ doctorum inſerviens. Est diæta hortenſis ex lapide coctili exſtructa propeqve mare ſita, unde amoenisſimus patet proſpectus per ſinum Arhuſienſem ad terram Molſorum inſulasqve et regiones finitimas. Lapidi poſtibus ſuperpoſito inſculpta ſunt hæc verba:

Delicias has aeſtivas
Superiorum Conſenſu propriis ſum-
tibus
Ao. MDCCLXV exſtructas
Scholæ, qvalicunqve ornamento
Collegis, qvi ſuccedunt, delectamento
eſſe voluerunt

H. E Grosmann, Coll. cl. IV.

C. Begtrup, Coll. cl. III.

Johannes Nicolaus Ahrendal, non immemoratum diſcipulis Arhuſienſibus nomen, qvorum nunc viventes plurimi ejus inſtitutione ſunt fructi. Sceptrum enim ſcholasticum tenuit per integros 38 annos 1767-1805, nullo tædio rei, qvartæ claſſis cathedrâ, qvam ſibi expetiverat, per tantum annorum ſpatium avocatus.

Michael Vogelius Coll. III Cl. 1769-1774, qvo tempore miniſterio ſacrorum Hundslundenſium dioec. Arh. præficiebatur.

Chriſtophorus Worſöe Coll. II et III Cl. 1769-1779 ad Paſtoratum Tönningenſem vocatus.

Georgius Haſſelbalch, V Cl. Coll. 1774-1783. Pastor Seerupienſis.

§ 4.

De examinibus publicis et disciplinâ scholasticâ.

Cum nil prius et antiqvius haberet Wormius, qvam ut disciplinæ, qvæ pueris tradebantur, exacte responderent normæ, publicâ auctoritate munitæ; supervacuum foret, lectorem in singulis describendis diutius detinere. Edicta Regia consulat, qvi hujus ævi institutionem scholasticam accuratius nosse cupiat. Cæterum vix opus est, ut admoneam, litteras sub auspiciis Wormii haud mediocriter se habuisse, cum ex iis, qvæ supra attulimus (§ 1) hoc sponte qvisqve augurabitur [10]).

Qvod ad disciplinam attinet, plurimi inferiorum inprimis classium doctores (Wormio excepto, qvi nunqvam, nisi durâ urgente necessitate manum sustulit castigatricem) cum sophistâ, nescio qvo, judicasse videntur: *δυσμεταχειριστατον τῶν παντων θεριῶν ειναι τον παιδα*, ideoqve leviori qvâvis in pensis diurnis retexendis morâ vel hæsitatione, identidem ultra eam humanarum ira-

---

10) Cæterum nec Wormium ad nævos scholasticos suæ ætatis cæcutivisse, apparet ex iis, qvæ Lüxdorffio reliqvisqve ad meliorem rei scholasticæ formam constitutis viris, rescripserit anno 1785. De qvo ejus responso, qvod inter chartas nostras frustra qvæsivi, adeas Nyerupii hist. schol. pag. 274-84.

rum fidem exardebant, ut virgis manibusqve pueros pesſime mulcarent. Plura ſane haberem, qvæ hic afferre posſem exempla, niſi in re odioſâ lectorem æqre diutius morari vellevjure opinarer, hoc unum addam, qvod narratione teſtis oculati pueritiæ annorum non ſine horrore recordantis certior ſum factus: avulſam ſemel aurem inter tortoris cujusdam ſcholastici cruentas manus cecidisſe.

Qvod ad jus Clasſium attinet, hoc ſemel tantummodo, dum Wormius ſcholam regebat, exercitum fuisſe comperui, et ſatis idoneam ob causſam, ut nimirum juvenis furti convictus eo pœnis civilibus liberaretur.

§ 5.

De feſtis ſcholaſticis.

Qvam antiqvioris ævi doctores fabularum actione, eam recentiores orationibus publice in ſcholâ habendis diſcipulis ſuis latine loqvendi facilitatem parare ſtudebant. Et qvanqvam nil est, qvod diffitear, his exercitiis minus laboris a diſcipulis, qvam a doctoribus fuisſe impenſum, utpote qvibus diſcentium rerum verborumqve tenuitati erat ſuccurrendum; tamen læti feſtiviqve pueris erant anniverſarii dies, qvibus, qvæ eorum nomine ſcripſerant doc-

tores coram ſollenni litteratorum conventu publice erant proferenda. Litteræ Regiæ, qvibus hæc injunguntur exercitia, datæ ſunt Hafniæ d. 15 Aprilis 1768 [11]), nec ſæpius qvam qvater in ſchola Arhuſienſi orationes habitas fuisſe comperui, nimirum ſub auſpiciis Wormii 1768 peroratum est de Sancto Nicolao Arhuſienſium patrono tutelari, 1769 de frugalitate et luxu veterum Danorum, 1770 ſub auſpiciis Krarupii de continuâ Regum Daniæ in veram Religionem curâ, et tandem 1771 auctore Wormio: de veſtigiis philoſophiæ Platonicæ et Stoicæ in doctrina et inſtitutione veterum Borealium.

Ad hocce feſtum ſcholaſticum, apud nos, qvamdiu duravit, anniverſarium, auditores invitabantur Programmate a Rectore alterna cum Conrectore vice conſcripto [12]), et horum opuſculorum exſtant qvatuor typis impreſſa, qvorum tria Wor-

---

11) Continet jusſum Regium qvoad ſingula hæc: "Diſciplene skulle (ved diſe Taler) itide blive vante til baade at tænke og skrive ordentlig, ſaa og med Anſtændighed og Frimodighed offentlig at tale". Porro: "Talerne ſkulle deels være paa Dansk og deels paa Latin, og ingen maa dimitteres uden han nogle Gange har ladet ſig höre". Deniqvc: "Materien maa tages af Fædrelandets Historie, eller andet ſom Lærerne eragte mest beqvemt for Diſciplene og nyttigt for Tilhörerne".

mium [13]) habent auctorem, unum vero Krarupium [14]).

§ 6.

De egregiis ſcholæ diſcipulis.

Diſcipulorum, qvos rude donavit Wormius, eum de pluribus ſileant tabellæ ſcholaſticæ, utpote qvi, tempore, qvo hæ condebantur, non

---

[12]) Til en ſlig Actum oratorium maatte Rector eller Conrector, hvis Tour det traf, indbyde ved et latinsk Programma, naar Orationerne bleve holdte paa Latin, og med et Dansk, naar de vare paa Dansk, hvilke Programmata ſkulle trykkes in 4to paa Bekoſtning af Skolens Penge og af hvilken Bogtrykker Lærerne fandt for godt, og derudi een eller anden nyttig Materie til Fædrenelandets Historie og dens adskillige Dele henhörende, fornemmeligen ſom angaaer den Bye eller Province, hvori Skolen findes, grundigen afhandles.

[13]) Inſcribuntur: Prodromus lexici litterarii Sorae 1768 in 4to tribus foliis abſolutus. Animadverſionum modeſtarum in Jöcheri lexicon litterarium particula prima 1769 in 4to et particula ſecunda 1771, utraqve Soræ impreſſa et qvinqve folia continens.

[14]) Series Conrectorum Arhuſienſium. Particula prima. Alburgi 1770 in 4to, 8 pag. Vitas enarrat hoc Programma duorum primorum ſcholæ Conrectorum.

dum publicis muneribus erant admoti [15]), ex iis, qvi scriptorum munerumve gravitate aliqvatenus inclaruere, hos paucos recipe B. L.! Qvoad reliqvos, ne mecum expostules, si unum alterumve, qvem ægve desideraveris, silentio a me prætermissum reperias, haud oblitus, me umbram tantum, non solidam rei imaginem, tibi promisisse.

Johannes Pontoppidanus (A. 1746 civitate academica donatus) originem ducens ex celebri Pontoppidanorum gente, qvorum stemma reperitur apud Wormium (lex. Tom. 2 pag. 213) patrem habuit Christianum patruumqve Ericum Pontoppidanum, qvi uterqve cognomine Arhusio Cimbri se a Fionensibus continuo distingvit. Inter scripta nostri præcipue laudatur translatio Danica Dramatis Gesneri de morte Abelis versibus hexametris confecta [16]).

Johannes Christianus Cramer, (A. 1747 civ. acad. don) matheseos studio librisqve, qvos edidit, arithmeticis satis notus [17]).

---

15) Ex 159, qvos in Academiam dimisit, 49 tantummodo nominantur, qvorum 40 pastores facti sunt rurales, 9 muneribus civilibus præfecti.

16) Qvoad reliqva de eo confer Wormium Tom. 2 pag. 210.

17) Worm Tom. 3, pag. 161.

Georgius Höst (1752 c. a. d.) Regia Conſiliis ſtatus, nec minus muneribus, qvibus in remotioribus patriæ Coloniis functus est, qvam terrarum in Africa Marokoenſium deſcriptione inclytus. Teſte Wormio [18]), eâ lingvarum recentiorum notitiâ polluit, ut non ſolum gallicam et hiſpanicam ſciret, ſed etiam Arabicam ita calleret, ut cum Rege Marocorum absqve interprete ſermones conferre posſet.

Petrus Wogelius, (A. 1757 c. a. d.) Paſtor primarius templi ſancti Spiritus Hafnienſis. Priusqvam alumnis noſtris adſciſcebatur, bonarum litterarum initiis umbratili inſtitutione Oveni Högh Guldbergii erat eruditus, et ab hocce egregio præceptore mature eum hiſtoriæ lingvæqve patriæ ſaporem imbibisſe videtur, qvô inter lingvæ vernaculæ reſtitutores honorificum tuetur locum [19]).

Thure Krarup. (A. 1758 c. a. d. vid. Per. 4, § 3.)

Chriſtianus Vest Hertel, (A. 1762 c. a. d.) fide et religione, qvâ variis muneribus eccle-

---

18) Tom. 3 pag. 369.

19) Confer laudationes Abſolonis et Canuti magni inſertas ſcriptis ſocietat. ſcient. elegant. Tom 8 et 9.

fiafticis per 31 annos functus est, non minus qvam liberalitate in ſcholam noſtram eximius. Dedit enim A. 1813, (ut munificentiam ejus in pauperes Arhuſienſes taceam)[20]) qvingentos imperiales diſcipulis ſcholæ noſtræ, qvorum ex uſuris præmia diligcntiæ qvotannis alumnorum tribus diſtribuuntur[21]).

Svenningius Lange (A. 1763 c. a. d.) Regi a Conſiliis Juſtitiæ et Curiæ Hafnienſis Aſſeſſor.

Nicolaus Ivari Schow (A. 1773 c. a. d.), Regi a Conſiliis Juſtitiæ, lingvæqve Græcæ Profeſſor in Academia Hafnienſi. Natus est 1755 patre Ivaro Nicolai perqviſitore et portitore Arhuſienſi. Scholæ traditus 1766 eam de ſe exſpectationem ſuſcitavit, ut hic et Olaus Wormius ſoli ſint, qvi a Jano Wormio in albo ſcholaſtico inter tirones magnæ ſpei conſtanter referantur, nec Wormium nimium in laudando fuiſſe, niſi ali-

---

20) Fundatio hujus donationis reperitur in Annalibus Engelstoftii 1812 faſc. 2, pag. 345.

21) Hæc vero ſumma cum novâ pecuniarum noſtrarum mutatione circumſcriberetur ad 125 imperiales, eam non ſolum auxit novâ donatione, ſed ejus incremento etiam proſpexit copiam librariam Epiſcopi noſtri manibus tradendo, ut, dum hi libri diſtribuuntur, nummi in arcâ depoſiti ipſis uſuris augeantur.

unde conſtaret, probatura eſſet teſſera Ovidiana (Her. 17, 34.) qvam veluti regulam cenſuræ ſuæ libro nuper memorato præſcripſit:

Fallitur augurio ſpes bona ſæpe ſuo.

Cæterum qvot qvalesqve eruditionis theſauros hic vir celeberrimus, qvondam ſcholæ noſtræ diſcipulus, ex diuturnâ apud Italos Germanosqve (XIV annorum perhibent tabellæ noſtræ ſcholaſticæ) commoratione, reportaverit et qvomodo illos in uſum juventutis academicæ converterit, id longum foret, hic pluribus recenſere.

Olaus Wormius (A. 1775 c. a. d.), Scholæ Hottersneſienſis Rector, Profeſſor et ordinis Danebrogici eqves auratus. Natus est 1756 patre Chriſtiano Bagger, præpoſito Nomarchiæ Molſingenſis, cumqve undecim annos natus Rectori Arhuſienſi Jano Wormio educandus inſtituendusqve traderetur, patre avunculoqve conſentiente, hujus optavit nomen, ne, qvod metuendum eſſet, ſtirpis Wormianæ exſtingveretur maſcula proles.

Qvamqve præclare posthac majorum gloriam tuitus ſit Olaus noſter, Daniæ Rectorum ætate et ſapientiâ Neſtor, teſtatur non minus muneris gravitas, qvod per triginta annorum ſeriem religioſe ſuſtinuit, qvam ſcripta egregia ingeni-

um eruditionemqve Wormianam, etiam apud exteros prædicantia et prædicatura deinceps [22]).

---

22) Qvos hactenus evulgavit Wormius libri sunt: "Luxdorphiana e Platone Hafn. 1790, 4-" "Juvenals VIII, XIII og XIV Satire oversatte paa Dansk med bestandig Commentar, Khvn. 1801". "M. Tulli Ciceronis orationem pro M. Marcello νοθείας suspicione, qvam nuper injiciebat F. A. Wolffius liberare conatus est O. Wormius Hafn. 1803" et Oratio habita in scholâ Hottersnesiensi d. 9 Jan. 1807 inserta Miscellaneis Hafniensibus a Müntero editis, Fasc. 2, 1817. (De reliqvis cfr. Wormii lexicon).

PERIODUS QVARTA

1775 - 1805.

§ 1.

De edicto Regio modoqve, qvo huic ſatisfactum est.

Cum uſu veniat, ut nulla in re magis vacillent leges civitatis, qvam in animorum regimine, (cujus non minimam partem efficit inſtitutio ſcholaſtica); hujus qvoqve rei ſucceſſus ex doctorum ſollertiâ, plus qvam ex ſapientiſſimis præſcriptis, pendere ſolet. His enim æqve facile doctor inutilis ineptusqve fucum facere, ac ſollers et ingenioſus legibus mancis et imperfectis ſuccurrere potest.

Hoc ſuo exemplo docuit non hic ſolummodo, ſed per omnes fere Daniæ ſcholas, edictum Regium d. 11 Maji 1775 evulgatum.

Si nulla igitur lex brevius fere qvam hæc in auctoritate fuit, priusqvam de ejus ſalubritate est dubitatum, (A. 1782 demum ejus præſcriptis ad plenum erat ſatisfaciendum et jam A. 1785 de

ipſâ novandâ decretum Regium est interpoſitum) [1]); hoc legi ipſi multa egregia continenti minus vitio vertendum esſe opinor, qvam partim novo, qvi mox invaluit rerum ordini, proniori, ut videtur, ad culpandum qvam ad laudandum ea, qvæ priſtino debebantur imperio, partim oſcitantiæ et incuriæ magiſtrorum, qvicqvid virium aliqvam intentionem poſceret, vel a recepto more paululum recederet, mox in deſvetudinem abire ſinentium [2]).

Meliori lingvæ vernaculæ et hiſtoriæ inſtitutioni lege erat cautum (ut hoc modo ex pluribus afferam), ſed adeo frigide res gerebatur, ut, qvi ſcholæ valedicebant, diſcipulorum plurimi vix epiſtolam dánicam lingvæ genio conſentaneam vitiisqve grammaticis purgatam posſent exarare.

---

[1]) Ad Lüxdorphium cæterosqve, de qvibus vide Nyerupii hiſt. ſchol. pag. 274 ff.

[2]) Hoc non maligne dictum esſe in plures egregios ſcholæ noſtræ doctores, qvibus, dum ſuarum partium religioſe ſategerunt, debitam laudem minime defraudatam velim, vix opus est, ut hic pluribus præmoneam. Heic vero, ut ſemel monui, de rebus non de hominibus ſermo est, parumqve interest lectoris de univerſâ rei facie curioſi, utrum Cajus an Julius nominetur is, qvi moleſtisſimo negotiorum onere deficiens, humanitus aliqvid fuerit paſſus.

In hiſtoriâ autem adeo tenuiter et præpoſtere inſtituti erant tirones, ut plura interdum de Ptolomæis Antoninisqve, qvam de inclytis patriæ heroibus callerent narrare. Nec melior fuit ratio Religionis, qvæ ad formulam Theologiæ Guldbergianæ adeo ſerviliter ediſcebatur, ut metuendum eſſet, ne filo rupto, tota confunderetur tela [3]).

Qvod in honore habitum est et interdum exempli inſtar colebatur, erat veterum lingvarum ſtudium. Hoc non limitatum erat aliis diſciplinis eandem cum illo dignitatem ſibi arrogantibus, tantumqve abfuit, ut vel ſolidam lingvarum inſtitutionem paucis ſeptimanæ horis abſolvi, vel chreſtomathiis qvibusdam, qvas dicunt, auctorumqve Eclogis examinatoribus academicis ſatis fieri poſſe putaretur, ut bona cujusvis diei pars huic diſciplinæ impenderetur, et numeroſus ſatis auctorum cyclus reqvireretur ab eo, qvi absqve

---

[3]) Hujus moleſtiæ levandæ cauſa apud nos, puerorum dolo, invaluiſſe audivi, ut penſum diurnum decantaretur ex libello didactico, qvi a diſcipulis ſive menſæ erat ſuppoſitus ſive in pileo ita collocatus, ut dum puer vultus modeſte ſe demittentis præ ſe ferebat ſpeciem, occaſionem haberet cenſori vel rigidiſſimo ſatisfaciendi.

fordidæ repulſæ metu civibus academicis adſcribi deſideraret.

Qvæ cum eſſet normæ conditio, ſi purior acceſſiſſet gustus in veterum auctorum interpretatione, ipſumqve inſtitutionis opus minus freqventer feriis longiuſculis eſſet interpellatum, non multum ſane habuiſſes, qvod in his exercitiis deſiderasses.

Verum enimvero adeo langvide inſtitutioni præfuere qvidam doctorum, ut vel ſomno interdum (ne plura dicam) inter docendum indulgere ſolerent [4]).

De ſingulis ſi qværis, latina danice vertebantur, græca latine. De verborum delectu in vertendo non multnm erant ſolliciti, de rerum illuſtratione plane ſecuri. Verba verbis reddere in proſa oratione, et in poëtica audaciores vatum metaphoras breviori verſione reſtringere, erat ſolenne. In his interpretandis ζηλῶ ſubinde ita indulgebant, ut foedum eorum gentilismum increparent [5]).

---

[4]) Narratur hoc de binis, qvorum alter, cum diſcipuli gratum hoc corporis animiqve laxamentum, ſilentio facto, ſibi parasſent, tandem expergefactus, ſomnolentiam ſuam purgare ſolebat exclamando verſum Horatianum:

Longe in opere fas est obrepere somnum.

Inter græca præcipuum locum tenebat novum teſtamentum, qvod ſupremæ claſſis diſcipuli ad verſionem Sahlianam reddere tenebantur, ab inferioribus autem verſio Leusdenii tantum modo reqvirebatur. Qvoad reliqva regnabant editiones verſionesqve Sahlianæ, qvarum adhuc plura aſſervantur exemplaria in bibliotheca ſcholaſticâ, in futurum, ſi unqvam veniet, diſcipulorum uſum. Ad fundamenta lingvarum Hebrææ Græcæqve adhibebant Grammaticam Danzii et Golii, qvam utramqve ad verba, qvin ad verborum ſyllabas, ediſcere cogebantur tirones.

§ 2.

De bibliotheca ſcholastica.

Recentioribus rei ſcholasticæ emendatoribus non exiguæ laudi est tribuendum, qvod de condendis bibliothecis ſcholaſticis cogitaverint, qvibus inopiæ doctorum ad libros comparandos raro ſufficienti [6]), pariter ac diſcipulorum uſibus, conſuleretur.

---

[5]) Narratur de aliqvo, qvi Horatio, qvando in laudem Apollinis aliorumve deorum paullo liberius excurreret, ita ſuccenſebat, ut præ contemtu eum conſpueret, exclamans: o coecum gentilem!

Habuerat ſchola noſtra per longum, qvod percucurrimus, temporis ſpatium paucos qvosdam libros in uſum diſcipulorum coemtos, qvos inter recenſentur in catalogo ſupellectilis ſcholaſtici A. 1681 lexica Scapulæ et Calepini catenis ferreis cathedræ annexa, adqve puniendam tollendamqve inſcitiam puerilem, ut videtur, æqve parata [7]).

Cum vero hi libri dudum ætati ceſſiſſent, de novâ auctioriqve ſuppellectili librariâ comparandâ cogitarunt ſcholæ moderatores, et, niſi fallor, inſtructio bibliothecæ ſcholaſticæ Arhuſienſis, post Guldbergium proxime debetur Epiſcopo noſtro Georgio Hee, qvi non ſolum ſcholæ inopiam dono Regio Chriſtiani ſeptimi 200 imperialium ſublevatam procuravit, ſed conſilio auctoritateqve plures Euergetas in dioeceſi ſuâ evocavit.

---

[6]) Hos vocat Gesnerus homines, qvibus civitas dat laborem trium aſinorum ſed cibum unius aviculæ.

[7]) Conſtat ſaltem hoc de Curtio qvodam Schreveliano, qvi firmiſſime ligatus, æneisqve angulis et fibulis munitus non minus idoneus repertus est ad levitatem puerilem coercendam qvam ad diuturnioris uſus injurias edurandas.

Horum munificentia paucis annis conqvisita est bibliotheca 900 voluminum, qvæ a scholæ Rectore Mag. Thure Krarup sollenni oratione est inaugurata die natali Regis augustissimi 29 Januarii 1783 [8]). His initiis bibliothecæ scholasticæ auspicato positis, auctisqve deinceps partim legato Teilmanniano annuisqve scholæ sumtibus, partim benignitate recentiorum discipulorum Arhusiensium, qvi pium, qvo pueritiæ annorum recordabantur animum, testatum facere cupiverunt suppellectilem librariam augendo [9]).

---

[8]) Est oratio inauguralis qvæ manuscripta asservatur in bibl. schol. hujusmodi argumenti: "Hvor ærefuldt det er for en Konge ved offentlige Skolebibliothekers Stiftelse at vise sin Kjærlighed til Fædrenelandet", continetqve nomina eorum, qvi insigni liberalitate opus promoverunt, qvi sunt, ut auctoris verbis utar, qvi sequntur: "Oberstlieutenant Hoff til Ryomgaard (der gav 65 udsögte philologiske Böger) Justitsraad Worm, Justitsraad Gleerup (100 Rd.) Justitsraad Höst (adskillige sjeldne Böger) Fru Bispinde Bildsöe (en Actie i det kjöbenhavnske topographiske Selskab) Regimentsqvarteermester Fischers Enke, Stiftsprovst Monrad, Provst Begtrup i Wistofft, Provst Meulengracht, Pastorerne Hasselbalch, Boserup, Staal, Marqvard, Wegerslew, Höst og Studios. Mundelstrup, Cramer og Lucas Müller."

Defiderabantur tamen plura litterarum ſubſidia docentibus inprimis, qvi progredientem temporum culturam æqvis pasſibus ſubſeqvi conantur, maximopere necesſaria. Nec horum defideriis defuit eventus. Miſit enim Collegium Regium Ao. 1808 egregiam librorum collectionem, curâ Moldenhaweri — qvi, dum rebus noſtris proſpexit, qvod ad meliorem inſtituendi methodum faceret, nunqvam a ſe alienum cenſuit — commode ſciteqve conqviſitam, plus qvam 400 volumina philologici maxime et hiſtorici argumenti continentem.

Excrevit igitur ſenſim ſenſimqve bibliothecæ noſtra ad eum numerum, qvem nunc habet [10]),

---

[9]) Inter hos nominari merentur qvattuor Secheri Dioeceſeos et præfecturæ Arhuſienſis præpoſitus, poſſeſſoresqve prædiorum Kjerbygaard, Södringholm et Schaarupgaard, qvi A. 1806, formâ ſcholæ Arhuſienſis nuperrime emendatâ, novum qvaſi Muſarum emporium faustis auguriis proſecuturi, e librorum ſupellectile minime ſpernendâ ſcholæ doctoribus 60 volumina ſeligendi copiam feceruńt.

[10]) Continet circiter 3134 volumina, nimirum: In theologicis: (qvorſum brevitatis cauſſa pauca hebræa, ſyriaca &c. accenſeo) 776 Vol. inter qvæ notari merentur ſcripta qvædam: Wetſteinii, Roſenmülleri, Mori, Schleusneri, Döderleinii, Stolzii,

estqve nobis, cum publicæ munificentiæ fontes magis magisqve exareſcere incipiant, ex moderatorum noſtrorum ſapientiâ benignitateqve ju-

---

Eichhornii, Bretſchneideri pluriumqve. Ad philologiam latinam 531 vol. (præter Gesneri theſaurum, Nizolii Funkiiqve lexica) continentia editiones plurimorum auctorum cum notis variorum, item: nonnullos ex edit. Burmanni, Spaldingii, Nitſchii, Oberlinii, Heynii, Wolffii, Doeringii, Bothii et Kindervateri. Ad philologiam græcam: 253 vol. inter qvæ theſaurus Stephani, item: Editiones Clasſicorum Fiſcheri, Harleſii, Schneideri, Heynii, Reiskii, Wolffii, Heinrichii et Hermanni. In hiſtoricis et geographicis: 1212 vol. inter qvæ haud exigui pretii libros: Buddei lex. hiſt. 66 vol. in folio, Algemeine Welthiſtorie 63 Voll., Baylii lex., Hist. univerſ. curâ Guthrie et Gray 29 vol., item opera qvædam Beckii, Gatterʼeri, Gallettii, Slangii, Suhmii, Langebechii. In geogr. Blaenii Atlas et Büſchingii deſcript orbis. In philoſophicis: (phyſ. math. et aſtron.) 492 vol., inter qvæ ſyſtemata Karſtenii, Buſchingii, Klügelii, Murhardi, Linei et Hofmanni et ſcripta qvædam Kantii, Platneri, Kieſewetteri et Treſchovii. Ad artes venuſtas lingvasqve recentiores 170 vol. inter qvæ Sulzeri, Blankenburgii, Adelungii pluriumqve libros.

ſtisſima cauſa ſperandi, fore ut bibliotheca, nec in posterum librorum incremento deſtituatur.

Reſtat adhuc ut de bibliothecæ appendice, qvæ a lectore naturæ antiqvitatumve patriarum curioſo cognoſcatur, minime indignâ, paucis ſubjungam. Aſervatur nimirum in muſeo noſtro:

1. Collectio foſſiliorum, qvæ, permittente Collegio Regio, emta est Freibergæ Saxoniæ anno 1808 decem Ludovicis aureis et complectitur 400 foſſilia, qvorum 320 ſunt orychtognoſtici generis, 80 vero geognoſtici, qvæ omnia tribus armariis ſyſtematice ſunt dispoſita.

2. Manuſcriptum malabaricis, ut videtur, characteribus, faſciis foliorum palmarum acu leviter inciſum.

3. Cornu æneum[11]), cujus jam mentio fit in antiqvisſimis ſupellectilis ſcholaſticæ indicibus, nullâ tamen additâ explicatione, cuinam uſui olim fuerit deſtinatum. Traditio ſeculorum decurſu populi ore trita hujusmodi est: Celebrabatur qvondam inſigni pompâ hic et alibi a Clero pontificio annua mortis dolorumqve Chriſti me-

---

11) Suffragante Collegio Regio, datâ opportunitate, transmittendum est hocce cornu ad antiqvitatum patriarum muſeum, qvod accuratisſime conditum in bibliotheca Univerſitatis Hafnienſis aſervatur.

moria, utqve hoc feſtum, qvod ipſo anniverſario mortis ſervatoris, ut videtur, die habebatur, excitatius redderetur ad populum commovendum, injunctum erat Davidicorum cuidam, ut cameram templi Clementini clam ſcanderet, ſignoqve dato, tempore, qvo concionator ſacer proditionem Judæ intentisſimâ voce increpabat, cælitus veluti, per cornu ad id datum, detonaret verba proditoris (Math. 27, 4.): Væ mihi, qvod ſangvinem inocentem prodiderim!

Est cornu læve, nullis figuris litterisve ornatum, ſed ad ſonum augendum mirifice compa-ratum.

§ 3.

De ſcholæ doctoribus [12]).

Rector ſcholæ 28vus (vid. Per. 3, § 1) fuit:

Mag. Thure Krarup 1775-1805. Natus in prædio Deibergglund 1739, biennium ſcholam Arhuſienſem freqventavit 1756-58, ſtudiisqve academicis laudabiliter profligatis, ab a. 1765 Collegæ Conrectorisqve officio per decennium religioſe est functus. Ipſe latine præclare erat doctus, aliosqve — ſi modo oblatum bonum non faſtidirent,

---

12) De horum vitâ confer Hertelii deſcript. ædis Clement. Tom. 2 faſc. 3 et 4.

— præclare edocendos curavit. Publicæ ſi qvid defuiſſet inſtitutioni, privatâ largiter compenſaturus, erectioris ſpei juvenes ad penitiorem poetarum cognitionem, inprimis Eclogarum Virgilii, intra privatos lares invitavit. Laudatur porro in viro animi morumqve integritas, animusqve in diſcipulos egenos paternus. Curæ ejus deniqve debentur fornaces ferreæ, ſcholæ uſibus adhucdum inſervientes [13]).

Triginta, qvibus Rectoratum geſſit, annis, 180 diſcipulos in Academiam dimiſit, qvorum 88 facti ſunt paſtores pagani, 4 oppidani, 18 muneribus civilibus, 5 militaribus præfecti, reliqvi ſive ad opificiorum leviorumve qvæſtuum negotia abiere, ſive mortui ſunt. A. 1805, munere ſcholaſtico ſe abdicans, titulo Profeſſoris ornabatur.

Conrectores ſcholæ fuere [14]).

---

[13]) Ad hoc usqve tempus friguerant per totam hiemem doctores cum diſcipulis, et, qvod pejus erat, friguerant haud raro ipſa ſtudia ſcholaſtica. Nam cum Collegæ in diverſis urbis angulis habitantes, in ſua qvisqve pergulâ, frigoris vi adacti, publicum exercerent negotium; in promtu est videre, non poſſe non ſtudia ipſa in ſecretis langveſcere et veluti in opaco ſitum ducere.

[14]) Cfr. Per. 2, § 3.

ignus, Mag. Georgius Hanſen 1777-1780.

Cum per triennium Conrectoratui præfuisſet, ad ſcholam Viburgenſem est vocatus, cujus Rector postea exſtitit meritisſimus.

20, Mag. Henricus Ernſtius Grosmann 1780-89[15]).

21, Janus Stougaard 1789-1805, de qvo vide Per. 5 § 2.

Collegæ ſcholæ fuere[16]).

---

15) Reperitur vita ejus cum elogio ſepulchrali in Engelstoftii Ann. 1811, faſc. 3, pag. 101-105, cujus, qvæ vitam viri ſcholasticam illuſtrant, ſunt ſeqventia: Hans Huſtrue og Paarörende, hans Lærlinge og Samtidige vidne: at uskrömtet Gudsfrygt, et ædelt og fölende Hjerte, ſtræng Retſkaffenhed, et ikke glimrende men grundigt Hoved, ſund Dömmekraft, utrættelig Arbeidſomhed, Nöiſomhed og Tilfredshed i Trang, Maadeholdenhed og Godgjörenhed i lykkelige Kaar, og en beundringsværdig Taalmod i tyve Aars haarde Lidelſer, vare hans Characters elskværdige Hovedtræk. Han var Menneſke og havde menneſkelige Feil, der dog aldrig fordunklede hans gode Egenskaber, tvertimod fik diſſe ligeſom en höiere Glands ved en ſjelden Beſkedenhed, en heldig Lune og en grundig Indſigt i Tonekunſten, hvilket gjorde den agtede Borger til Medborgeres Yndling. Berövet i tyve Aar ſit Syn og ſine Lemmers fulde Brug, beholdt han dog til mod ſine ſidſte Dage, ſin Aandskraft og Fyrighed.

Mag. Nicolaus Lisberg Collega V cl. 1779-1785. Eccleſiæ postea Holmenſis pastor.

Nicolaus Thomſen 1781-1804 Coll. V cl.

Jacobus Abel Ingerslev 1783-1784, Coll. II cl. unde ad Pastoratum Saxildenſem vocabatur.

Nicolaus Wormslew brevi tempore circa annum 1783 clasſi ſecundæ præfuit, mox ad eccleſiam Borum postea Wibye vocatus.

Christianus Cramer Collega III cl. 1785-1796, qvo anno eccl. Rögen præeſſe jusſus est.

Stephanus Krysſing Coll. III cl. Poſtea paſtor eccl. Meierup in dioec. Viburg.

Henricus Rohde Coll. III cl. mortuus A. 1805.

Carolus Fridericus Janſen Collega III cl. ad a. 1806. Postea pastoratui Broust admotus, hoc anno ſimul munere præpoſiti præfecturæ est ornatus.

Andreas Fiſcher Bastrup, 1804 Coll. II Cl. 1805 Adjunctus, græcam in II, latinamqve lingvam in II et III cl. docens, 1813 Pastor eccl. Röding in dioec. Viburgenſi.

---

15) Cfr. Hertel Tom. 2 faſc. 4 pag. 531.

§ 4.

De disciplinâ scholasticâ.

Qvanqvam non est negandum extimam elapsi seculi ætatem ab antiqvæ disciplinæ rigore haud parum recessisse, maximopere tamen erraremus, si ad credendum adduceremur: hanc nostri ævi fuisse humanitatem, qvæ se ab omni puniendi acerbitate ubivis temperaverit.

Recordamini, discipuli Arhusienses, (ut hoc unicum afferam de re, cujus me dudum tæduit piguitqve) [17]) illius vocis tremendæ: Extende, manum extende! qvæ diætas nostras scholasticas personare solebat, et tu, B. L.! (si hactenus historiolæ nostræ attendere tanti putaveris) Episcopo nostro locupletissimo, si cui alii, rei auctori hoc tribuas: nostro demum ævo finem factum esse fædi cædendi arbitrii [18]).

---

[17]) Qvâ tamen, cum in historiâ scholasticâ duo præcipue esse videantur, qvæ rei momentum faciant: instituendi ratio disciplinaqve morum; superfedere neqvivi.

[18]) Exemplum, (utrum Arhusiense sit, nec ne, nil ad rem facit) est in epistolâ Episcopi nostri Georgii Hee datâ Arhusiæ d. 1 Aug. 1783 ita se habente: "Det er ikke længe siden, at mig er forebragt, at Hr. N. Ns. overilede Gemyt og Fremfusenhed i at straffe Discipler ei allene affkrækker Een og Anden fra at

§ 5.

De egregiis ſcholæ diſcipulis.

Janus Stougaard A. 1783 inter cives academicos receptus, postea Rector ſcholæ Arhuſienſis meritisſimus. (De qvo vide Per. 5 § 2.)

ſætte Börn i N. N. Skole, men endog kan bevæge Forældre, ſom virkelig har Börn der, til at tage dem deraf, ſaa at Skolen visſere trues med Forringelſe end kan vente nogen Fremvext. Endskjönt jeg, efter een og anden foruderfaret Pröve paa Deres choleriske Tænkemaade, ikke anſaae ſaadan Foreſtilling for ugrundet, har jeg dog ikke ſyntes uden virkelige Data, at ville gjöre derom Erindring, men tænkt, naar jeg vedtalte Dem, at före Dem Deres overdrevne Strenghed til Gemytte. Men nu, da De ved et, efter Skoleforſtandernes Beretning, ſaare ubetydeligt Tilfælde, har beteed Dem ſaa haard og overordentlig ſtreng, at en Diſcipel, for at conſervere Lemmer og Helſen, har ſeet ſig nödſaget til, at forlade Deres Huus og Information, ſaa maa jeg alvorligen paaminde Dem om Skoleforordningens 15 Artikel. Det er paa Tide, at De ſöger, at moderere den Heftighed i Sindet, ſom De öienſynligen befindes at beſiddes af, naar Noget möder, ſom De ikke ſynes om. — — Det er bekjendt at alle Diſciple har haft i Sinde, at ſöge om Deres teſtimonia vitæ. Jeg haaber, De derfor i Fremtiden vil forſkaane mig for Uleilighèden, at være Dommer om ſlig Precipitation." &c.

Chriſtianus Johannes Lodberg Krarup, A. 1784 i. c. a. r. postea Præpoſitus præfecturæ Ringkiöbingenſis ordinisqve Dannebrogici eqves auratus. Laudantur merita viri de inſtitutione doctorum ruralium et recenſentur ſcripta ex officinâ typographicâ ejus ſumtibus inſtitutâ in uſum vulgi ruſtici evulgata in Ephemeride Danico: "Litteraturtidenden 1817 N. 32."

Christianus Nicolai Krarup (1784 i. c. a. r.) Pastor Eccleſiæ Wivildenſis, Conſiſtorii eccleſiaſtici Aſſeſſor et ordinis Dannebrogici eqves auratus, ſcriptis inventisqve oeconomicis minime obſcurus.

Janus Höjer Leth (1785 i. c. a. r.) Præfecturæ Sallingenſis præpoſitus, vir juventutis informandæ ſtudioſisſimus, cujus umbratili inſtitutioni haud paucos optimæ notæ diſcipulos acceptos refert ſchola noſtra [19]).

Albertus Philipus Bregendahl (1790 i. c. a. r.) Pastor primarius Schivenſis et præfecturæ præpoſitus.

Johannes Henricus Weiſe (1791 i. c. a. r.) Philoſohiæ Doctor et eccleſiæ Volſtrupienſis paſtor [20]).

---

19) Necrologia ejus inſerta est ephemeride Euſebia Tom. 1 faſc. 1 pag. 81-91. Arhuſiæ 1814.

Petrus Rohde (1791 i. c. a. r.) Judex nomarchiæ Hannenſis occidentalis, Regiqve a negotiis bellicis ſummus curator, non illepidus poematum auctor.

Johannes Bering (1795 i. c. a. r.) Primarius ſcholæ Nakſkovienſis moderator.

Fredericus Deichmann Haſſelbalch, (1798 i. c. a. r.) ſcholæ Viburgenſis Rector.

Henricus Bering Lanng, (1798 i. c. a. r.) Regi a Conſiliis Cameræ ſummusqve civitatis Fridericiæ magiſtratus.

Nicolaus Fredericus Severinus Grundtvig; (1800 i. c. a. r.)

Vellem utiqve exiſterent in ſchedis noſtris ſcholasticis *ἀπομνημονευματα* qvaedam de Grundtvigii noſtri indole puerili, divinioris, qvo vir factus ſæculum movit, ingenii ſcintillas jam in puero indigitantia. Qvum vero de vitâ ejus ſcholastica plane ſileatur, crediderim fere illum (qvod de Junio Bruto aſſerit Titus Livius)[21]) la-

---

[20]) Librum de re pædagogicâ evulgavit inſcriptum: Haandbog i Opdragelſeslæren egentligen beſtemt for Forældre i de cultiverte Stænder. Odenſe 1803 hos Hempel.

[21]) Hist. Rom. lib. 1 cap. 26.

tentem ſua tempora oppertum fuisſe, ingeniiqve ſui aurum baculo veluti corneo incluſum celasſe. Cæterum, qvam prælare hic vir de hiſtoria patria reliqvisqve diſciplinis meruerit, neminem lectorum hujus opuſculi latere exiſtimo.

PERIODUS QVINTA

ab anno 1805 ad annum 1817.

§ 1.

De novisſimo rei ſcholaſticæ ſtatu.

Si unqvam materia esſet ſperandi, fore ut, inſtitutio qvædam ſcholastica votis Pædagogorum reſponderet; recentisſima esſet ſcholæ Arhuſienſis forma. Hæc enim 15 annos (1790-1805) ab ingeniosſisſimis ſapientisſimisqve viris trutinata, ternisqve in celeberrimis patriæ ſcholis octo per annos ulteriori explorationi ſubjecta, tandem ſapienter cunctando probata eventuqve firmata, Ao. 1805 in Arhuſinam, ut in alias Cimbriæ ſcholas, est introducta. Et licet eqvidem teſtis fuerim animi grati, qvo boni Cimbri hoc beneficium Regium, duodecim abhinc annis, fuerint amplexi, lætitiæqve, qvâ liberos ſuos ad novum litterarum ſeminarium adduxerint; hac in re tamen, utrum cum lætâ exſpectatione conſtiterit eventus, penes me minime ſit judicium, qvi ipſe ego aliqva ipſius fuerim pars.

Dum igitur in novâ rei ſcholaſticæ facie dijudicandâ peritiorum judicio in univerſum modeſte me ſubjicio [1]), libenter confiteor, qvoad ſingula me haud pauca pectori incluſa habere, qvæ, ſi non brevitatem ſvaſisſent temporis lociqve anguſtiæ, ulterius explicare volupe admodum foret.

Cum vero, qvæ inter docendum attento ipſâqve experientiâ edocto magistro ſuboriuntur de ſingularum rei ſaluberrimæ partium ſalubritate dubia, pia deſideria &c., ad qvæ modeſte profe-

---

[1]) Conſulat lector cupidus libros, qvi novum ſtatum ſcholaſticum vel in genere deſcribunt vel ſingularum ſcholarum conditionis faciunt mentionem; qvæ deſcriptiones, mutandis mutatis, in noſtram, ex eadem normâ inſtitutam commode transferri poſſunt. Sunt hi libri: "Prof. Nyerups Skolehiſtorie". "Etatsraad Engelstofts Forſög til at oplyſe det Spörgsmaal: Hvori beſtaae egentlig de Forandringer, der i de ſeneſte Tider ere gjorte i det lærde Skolevæſen. En Afhandling indrykket i Univerſitets- og Skole-Annalerne 1806, 1 Qvartal". "Prof. og Ridder Bloch: Om Nyekjöbing lærde Skole fra dens Reform i Novbr. 1806. Khvn. 1808" og Sammes "fortſatte Efterretninger om Kathedralſkolen i Nyekjöbing. Mariboe 1809". "Prof. og Rector Niſſen om Claſſeſyſtemerne i Skolerne 1ſte Hefte Khvn. 1808, 2det Hefte Khvn. 1809".

renda, pro ejus humanitate, invitavit ipſum Collegium Regium [2]), nude propoſita ſuisqve argumentis deſtituta, qvæ rei est gravitas, minus placere debeant; hæc ad aliam occaſionem, cum liberius excurrendi contigerit opportunitas, ſeponere ſatius duxi: paucula qvædam tantum ſubjungens de iis, in qvibus novus ſtatus ſcholaſticus; omnium conſenſu antiqviori præſtare videtur. Sunt:

1. Scholarum adminiſtratio Collegio Regio concredita, qvod operam indiviſam rei gravisſimæ impendere potest [3]).

---

[2]) Skoleforordningen af 7 Novbr. 1809 andet Cap. § 12.

[3]) Hanc rem laudat Serenisſimus auctor in libro: "Ideer vort lærde Skolevæſen vedkommende Pag. 42" his verbis: "At jeg anſeer et ſaadant eget med Auctoritet og Anſeelſe beklædet Kollegium for uundværligt, tilſtaaer jeg. Ved eet af flere Medlemmer beſtaaende Kollegium betrygges de eengang antagne Grundſætninger for alt for hyppig Forandring eller fuldkommen Kuldkaſtelſe. — — Et Kollegium vil, endog naar Reformen er tilendebragt, i den beſtandige Styrelſe af det hele Skole- og Opdragelſes-Væſen forefinde et nyt og meget betydeligt Detail af Forretninger, ſom kræve ſaavel udeelte Ævner ſom udeelt Tid".

2. Abrogatio ſervilis miniſterii ſacrorum et ceremoniarum funebrium in magnum temporis dispendium diſcipulis olim injuncti.

3. Lætior lingvæ vernaculæ cultura, et qvæ cum illâ conjunguntur meditandi exercitationes.

4. Severius Theologiæ, lingvæ græcæ, historiæ et geographiæ &c. ſtudium.

§ 2.

De ſcholæ doctoribus.

Qvi adhuc ſcholam Arhuſienſem moderatur utinamqve diutiſſime ſit moderaturus, Rector Scholæ ognus est:

Janus Stougaard (Petri). Natus in pago Rye A. 1762, ubi pater Petrus Petri operam ſcriniariam exercuit, duodecim annorum puer ſchola Arhuſinæ est traditus, ibiqve a conſobrino, (cujus nomen postea asſumſit) ex lautiori, qvâ gaudebat, re familiari benigne ſublevatus. Studiis academicis honorifice abſolutis, breviqve Collegæ munere apud Roeskildenſes geſto, Ao. 1789 ad patriam ſcholam est revocatus, vicibus primum Conrectoris (1789-1791), deinceps ipſo Conrectoratu (1791-1805) et tandem Rectoratu (1805 ad præſens tempus) ſumma cum diligentia et religione fungens. Plura ſane haberem, qvæ in hoc

egregio viro posſem laudare, meritoqve laudarem, niſi ab his ſingulatim recenſendis revocaret viri modeſtia. Sufficiat hoc addidisſe, neminem, qvi huic ſcholæ præfuere, doctorum, animum magis paternum in ſuos, qvam ille, unqvam facile habuisſe. Cæterum nec has nec reliqvas noſtri virtutes Superiores latuisſe, vel exinde colligere licet, qvod Rex auguſtisſimus feſtum coronationis novis in bene meritos viros beneficiis celebraturus, etiam Stougaardium noſtrum titulo Profeſſoris ornare fuerit dignatus. In magiſterio ſuo post reformatam formam ſcholaſticam docet lingvam hebraicam et præest omnibus Clasſibus hiſtoricis et geographicis. Dum Rectoratum gesſit, in Academiam 43 juvenes dimiſit.

Conrector ſcholæ 22dus fuit:

Emmanuel Tauber, fraternitatis non minus qvam mutui officii ſtudiiqve vinculis mecum conjunctisſimus, 1805-1811 præfuit clasſibus duabus ſuperioribus græcis latinisqve, nec, absqve putidâ veritatis disſimulatione, celare auſim, qvod nemini luculentius patuit, qvam mihi, qvi diſcedentis partes ſuſtinere jusſus ſum, qvam præclare hicce elegans ſubtilisqve veterum auctorum interpres de juventute noſtra ſcholaſtica fuerit promeritus. Ao. 1811 ad Rectoratum Alburgenſem est vocatus[4]).

Reliqvi doctores temporis, qvo muneribus sunt præfecti, habitâ ratione, fuere:

Ericus Giörup Tauber, qvi ab a. 1805-1806 docui lingvam hebraicam et teutonicam, 1806-1811 Religionem lingvamqve vernaculam in omnibus scholæ classibus et 1811-1817 præfui institutioni supremæ classis in Religione, lingvâ vernaculâ, græca et latina.

Edvardus Christie Fleischer, Adjunctus Scholæ 1806-1817 præfuit toti institioni historiæ naturalis nec non Arithmetices et Geometriæ.

Jacobus Filstrup Haasum 1806-1811 præfuit toti institutioni Gallicæ Germanicæqve et docuit lingvam latinam in prima scholæ classe. Munere scholastico deposito, ad studium forense se applicuit, causisqve agendis Alburgi operam dedit. Ao. 1817 titulo Consiliarii Cameræ, ornabatur.

Japetus Christierni Qvistgaard, 1811-1816 Religionem lingvamqve vernaculam et græcam docuit, in duabus inferioribus classibus, 1816-1817 Religionis loco, institutioni Gallicæ præfuit.

---

4) De ejus vitâ confer Hertelii descr. templ. Cler. Tom. 2, fasc. 4.

Petrus Munch, 1811-1816 docuit lingvam latinam in prima clasſe et Gallicam et Germanicam in omnibus clasſibus. Ad paſtoratum Bederenſem postea est vocatus.

Johannes Henricus Blache, 1813-1817 præfuit clasſi ſecundæ et tertiæ latinæ.

Jacobus Samuel Hertel, doctoris munere apud Randruſienſes antea functus, 1816-1817 docuit lingvam latinam in prima clasſe, Religionem in II et III et lingvam teutonicam in I et II cl. [5]).

Claudius Petrus Röhr 1812-1817 Calligraphiæ doctor.

Adamus Abrahamus Engelbrecht 1815-1817 artem ichnographicam in duabus inferioribus clasſibus tradens.

Johannes Kabell 1816-1817 cantandi exercitia diſcipulorum moderans.

§ 3.

De rebus, qvæ in ſchola tractantur.

Auctores, libri didactici et exercitia, qvæ ultimo anno ſcholaſtico, (Octbr. 1816-Octbr. 1817),

---

5) Omnes fere hi Collegæ mei conjunctiſſimi fuere diſcipuli Arhuſienſes, qvi, qvam ipſi olim receperunt inſtitutionem, patriæ

consentiente Collegio Regio, sunt prælecta, explicata et instituta, fuere [6]),

In lingva vernacula [7]),

In prima (i. e. infima) classe:

Nissenii compendii grammaticæ danicæ paradigmatica pars.

Mallingii liber de præclare gestis Danorum prælectus et analytice explicatus.

Rahbekii chrestomathia danica.

Exercitia styli danici, semel qvavis septimana.

In secunda classe:

Continuatio lectionis Grammaticæ danicæ Nissenianæ.

Ulterior expositio libri Mallingii de bene gestis Danorum.

---

scholæ nunc cumulate reddere, jucundissimum habent.

6) Cum nimis longum foret exactam dare descriptionem methodi, qvâ in docendo utuntur singuli præceptores, hac brevi recensione acqvieścat benevolus lector, utqve ex hac qvodammodo possit judicare de toto (biennali plerumqve) cyclo scholastico cuivis classi proposito, in notulis brevissime illa allata reperiet, in qvibus superioris anni (Octbr. 1815-Octbr. 1816) lectio a præsentis discesserit.

7) Seqvutus sum ordinem, qvo res sese excipiunt in docendi formulâ die 24 Aprilis 1805 evulgatâ.

Eclogæ poeticæ memoriter recitatæ.

In tertia clasſe:

Repetitio Grammaticæ Danicæ et accuratior difficiliorum ejusdem partium expoſitio.

Liber de ſtylo Danico a Rahbekio editus.

Dolzii compendium Logices.

Selecta loca poetarum danicorum Weſſelii, Baggeſenii et Guldbergii et inprimis tragoediarum Schilleri, qvæ inſcribuntur: Jeanne D'Ark et Maria Stuart, memoriter pronuntiata [s]).

Elaborationes Danicæ, primum diſcipulorum deinceps doctoris criſi ſubjectæ.

In lingva latina.

I Cl. docentur:

Paradigmata Grammaticæ latinæ ad ductum comp. Badenii.

Syntaxis latina ex breviario Broederi.

Gedikii chreſtomathia minor latina Pag. 1-48.

II Cl.

Accuratior lectio paradigmatum Gram. Badenianæ.

---

[s]) Ao. 1816 præter Weſſelium inprimis recitatæ ſunt Eclogæ tragoediarum: Wilhelm Tell et Hakon Jarl.

Potiora Syntaxeos Grammaticæ Broederi majoris.

Sectiones qvinqve priores Chreſtomathiæ Gedikii majoris [9]).

Exercitia ſtyli bis qvâvis ſeptimanâ.

III Cl.

Expoſitio utriusqve gram. lat. Badenii et Broederi ad finem perducta.

Ciceronis libri tres de officiis.

Virgilii Eclogæ.

Terentii Andria.

Exercitia ſtyli bis qvavis ſeptimana [10]).

IV Cl.

Ciceronis orationes pro Milone, Ligario et Rege Deiotaro.

Qvinctiliani inſtitutionum liber XII.

Dialogus de cauſſis corruptæ eloqventiæ vulgo Tacito vel Qvinctiliano adſcriptus.

Catulli carmina in paſſerem Lesbiæ ejusdemqve epithalamium Pelei et Thetidos.

Horatii odarum libri tres [11]).

---

9) Ao. 1816: Sex libri hiſtoriæ Juſtini, et Phædri fabularum libri qvinqve.

10) Ao. 1816: Livii hiſtoriarum liber III et IV. Horatii epiſtolæ.

Meyeri compendium antiqvitatum Romanarum.
Ramleri comp. Mythologiæ.
Conſpectus ſcriptorum latinorum aureæ argenteæqvè inprimis ætatis, adjunctis eorundem ſtyli ſpeciminibus ad vertendum propoſitis.
Exercitia ſtyli bis qvavis ſeptimana.
Verſiones danicæ ſcript. lat. antiqviorum et recent. ſemel qvavis ſeptimanâ.
Ælaborationes latinæ.

In lingva græca docetur.

I Cl.

Gram. Niſſenii paradigmatica pars.
Dimidia pars Chreſtomathiæ Gedikii.

II Cl.

Expoſitio Grammaticæ Niſſenii ad finem perducta.
Ejusdem Chreſtomathia proſaica ad eclogas Polybianas pag. 241.
Homeri Iliadis liber I.

(11*)

---

11) Ao. 1816: Ciceronis dialogi de ſenectute et amicitia.
Taciti vita Julii Agricolæ.
Qvinctiliani inſtitutionum liber X.
Virgilii Æneidos liber I. II. IV. VI et XII.

III Cl.

Plutarchi vitæ parallelæ Themiſtoclis et Camilli.

Homeri Iliadis liber VII, VIII, IX et X [12]).

In lingva hebraica,

Grammatica Wecherlinii, ejusdemqve Chreſtomathia.

In lingva gallica,

I Cl.

Paradigmata grammatices Brunianæ.

Chreſtomathia minor Gedikii.

II Cl.

Continuatio grammaticæ Brunii.

Dimidia prior chreſtomathiæ majoris Gedikii.

III Cl.

Tota grammatica et ſyntaxis.

Dimidia poſterior chreſtomathiæ majoris Gedikii et ſelecta loca chreſt. Ideleri et Noltii.

In lingva teutonica.

I Cl.

Grammatica Tilemanni.

---

[12]) Ao. 1816: Plutarchi vita Alexandri et Homeri Iliadis liber III, IV, V et VI.

Selecta loca chreſtomathiæ Behrmannianæ.

II Cl.

Centinuatio et repetitio Gram. Tillemanni.
Chreſtomatia Pölitzii.

In Religione,

I Cl.

Compendium Ballianum ad cap. VII.
Birchii hiſtoria biblica N. T.

II Cl.

Compendium Ballianum novis doctoris additamentis auctum.
Birchii hiſtoria biblica major. V. et N. T. ad finem.

III Cl.

Compendium didacticum a doctore conſcriptum et antea a diſcipulis calamo exceptum.
Holmii inſtitutio religionis.
Niemeyeri introductio in libros V. et N. T.
Ejusdem hiſtoria religionis.
Historia biblica Herslebii et Birchii.
Selecta loca N. T. græci inprimis dicta ejusdem claſica a doctore latine verſa et explicata.

In Geographia,

I Cl.

Conſpectus terrarum Europæ civitatumqve

notabiliorum ad ductum geographiæ a Kierulffio editæ.

II Cl.

Prænotiones geographiæ mathematicæ.
Uberior expositio geographiæ Europæ et brevior ceterarum orbis terrarum partium.
In geographia antiqva: Italia, Græcia et Asia minor.

III Cl.

Tota geographia hodierna et antiqva ducente Kierulff et Sommerfeldt.

In historia,

I Cl.

Historiæ selectæ ad ductum minoris compendii Munthii.

II Cl.

Historia antiqva Koefodii.

III Cl.

Hist. antiqva et recens Koefodii.
Historia patriæ ad ductum Munthii.

In Arithmetica,

I Cl.

Compendium Biörnii, partis 1 § 1-39.
Praxis Arithmetices ætati accommodata.

II Cl.

Continuatio compendii Biörnii, part. 2 ad § 73.

Praxis Arithmetices.

III Cl.

Repetitio totius Arithmetices novis argumentationibus aucta.

Continuatio compend. Biörnii, partis 3 ad § 100.

Exercitia themata propoſita ulterius explicandi.

In Geometria,

I Cl.

Compendium Linderupii § 1-49.

II Cl.

Continuatio compendii Linderupii § 49 ad finem.

In historia naturali, [13])

Compendium Funkii biennio abſolvitur.

In ſcribendi exercitiis:

Typi a Sonne editi per omnes claſſes (III inferiores) diſcipulis proponuntur.

---

13) Qvæ in infima claſſe tantum docetur.

In pictura lineari,

qvæ in duabus inferioribus clasſibus exercetur, fundamenta artis traduntur ad inſtitutiones et icones Lahdianas.

In canendi arte:

diſcipuli (naturâ plane novercâ ab his exercitiis haud excluſi) docentur initia canticæ ad tabulam, discrimina vocum ſignis muſicis exhibentem. Provectiores ad concentus muſicos qvaternarios præparantur.

§ 4.

De diſcipulis Arhuſienſibus.

Numerus diſcipulorum, qvi ſcholam Arhuſienſem ad præſens (finito examine autumnali) freqventant, est 74, qvorum

7 ſunt nobiles,

21 filii Paſtorum inprimis ruralium,

12 filii virorum muneribus civilibus præfectorum,

4 filii præfectorum militarium aliorumve res bellicas adminiſtrantium,

12 filii mercatorum,

18 filii hominum opificia, agriculturam vel alia negotia exercentium.

Et, qvemadmodum plurimi, qvi ſeriori ætate honeſtam a ſcholâ noſtrâ misſionem fuere adepti'

ardore, qvo ſtudia academica fuere ingreſſi et, ex parte, ad finem perſecuti, fauſta qvævis patriæ ſunt polliciti promisſisqve jam dudum ſteterunt; [14]) ita haud pauci eorum, qvi apud nos remanent, diligentiâ, ordine morumqve integritate ſe docentium favore reddidere dignisſimos.

Nec, qvo minus ingenia optime nata vel ærugine conficerentur vel alienis ſordibus obſolescerent, ſeveriores unqvam puniendi rationes opus fuere, vel, qvod ſperamus, in poſterum opus erunt, ſed ad molles animos regendos efficacisſimum incitamentum ſibi reperisſe viſi ſunt doctores in honeſtæ æmulationis vi.

Hanc ad alendam, ut optimam diligentiæ boniqve ordinis conſervatricem non minus publica auctoritate qvam Superiorum conſenſu ſancitum est:

1. ut qvovis die doctorum aliqvis interſit inter diſcipulorum ludos ordiniqve proſpiciat, qvando ſcholam adeunt vel relinqvunt diſcipuli. Porro: Ut horum inter lectiones publicas profectus qvâvis horâ a cujusvis claſſis

---

[14]) Ex 21 diſcipulis Arhuſienſibus, qvi decennio proxime elapſo examini theologico et juridico ſe ſubjecerunt, 18 charactere laudabili ſunt ornati, horumqve 11 muneribus (inprimis eccleſiaſticis et ſcholaſticis) præfecti.

doctoris in albo ſcholaſtico certo notetur charactere.

2. ut qvovis menſe certiores fiant parentes et tutores, characteribus et adnotationibus ad id datis, de filiorum vel pupillorum indole et progreſſu tam in litterarum diſciplinis in genere, qvam in ſpecie in morum conditione.

3. ut qvovis tertio menſe, habitâ accuratâ characterum menſtruorum numeratione, cujusvis claſſis diſcipuli locum, qvi profectui et diligentiæ exacte reſpondeat, occupare jubeantur[15]).

4. ut qvovis anno, qvam fieri poſſit ſolenniter, habeatur publicum examen autumnale. Hanc ad rem non minimum Scholæ Ephori contulerunt, qvi dum ipſi perpetuo fere puerorum profectum dijudicaturi publicis tentami-

---

15) Cum obſervatum eſſet, juvenes, naturâ ſolâ fautrice adjutos, interdum præcurrere tardioris ingenii adoleſcentulos, qvi dum invitæ, qvam dicunt, Minervæ ferreo pæne labore reluctabantur, ſe de loco ſuo naturæ malignitate dejectos eſſe qverebantur; horum qvoqve tenuitati utcunqve conſultum est, characterem addendo induſtriæ domeſticæ, qvi calcar adderet mere ingenioſis, alacritatem autem iis, qvi novercam naturam improbo labore vincere ſtuduerant.

nibus interfuere, ſimul alios viros, vel Arhuſiæ vel in ejus viciniâ degentes, ingeniorum puerilium ſuffragatores arbitrosqve integerrimos, ad cenſuram agendam humanisſime invitarunt [16]).

His inſtitutis ad morum qvandam ſvavitatem (qvæ veriorem animi culturam nunqvam non ſubſeqvi ſolet) ſenſim ſenſimqve efformata juventus ſcholaſtica, ſigna qvoqve publicæ æſtimationis a civibus hujus civitatis amplisſimis recepit indubia, dum, ut alia taceam, invitabatur ad obeundos elegantisſimos conventus ſcenicos muſicos et ſaltatorios, qvos honeſtisſima ſocietas, qvæ a Polyhymnia nomen est mutuata, habere ſolet. Qvâ re cum diſcipuli a conventiculis, qvibus olim indulgebant, revocarentur, coramqve doctorum

---

16) Viginti plerumqve horum, præter ſcholæ doctores, bini ternive alterna vice adesſe ſolent. Nec huncce laborem detrectavit ipſum Collegii ſcholaſtici membrum Laurentius Engelstoft, Regia Conſiliis ſtatus, qvi, in tranſitu, Arhuſiæ degens, ut temporis ratio ferebat, tum operi docentium diurno, tum publico examini ſedulo interfuit, qvin puerorum ſpecimina calamo concepta diligenter excutere fuit dignatus. Qvo factum est, ut adventus ejus pueris noſtris non minus ſit lætus et exſpectatus, qvam benignitas in diſcipulos egenos civitatem acad. adeptos notus celebratusqve.

parentumqve oculis inter ipſos ludos jocosqve verſari teneẹentur, eam nec ſcholæ infructuoſam fuisſe, facile apparet.

Pergat proinde juventus bene morata fidem facere optime de ſe promisſis! Floreat ſchola noſtra ſimilis qvercui annoſæ, qvæ occulto in ævo nata, colentiumqve curâ ſæpius refloreſcens, in ſæcula juveneſcere pollicetur.

BSB Bayerische StaatsBibliothek
MDZ Münchener DigitalisierungsZentrum Digitale Bibliothek

Tauber, Erik Giörup

Historia scholae cathedralis Arhusiensis

Arhusium 1817
H.lit.p. 378 m
urn:nbn:de:bvb:12-bsb10735284-6